

**www.e-rara.ch**

## **Oratio secularis, de Academiae Basiliensis ortu & progressu**

**Gernler, Lucas**

**Basileae, [1660]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-5489>

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



6

ORATIO  
SECVLARIS,

De  
ACADEMIÆ BASILIENSIS

Ortu & Progressu:

In publicis ejusdem Comitiiis,  
pro felici SECVLI TERTI Auspicio,

Pridiè Nonas Aprilis Anni cdo Idc Lx.

Illustri & frequentissimâ Panegyre, in  
æstivâ Theologorum Aulâ,  
celebratis,

DICTA

à

LUCA GERNLERO,

Eccles. Pastore, & in Acad. SS. Theol. Doct.

ac Professore, ejusdemque pro tempore

RECTORE.



---

BASILEÆ, Ex Officina GEORGI DECKERI,  
Universitatis Typographi.

ORATIO  
S. E. CULARIS  
ACADEMIAE BAVARICAE

In auspiciis sanctissimi Germanici  
procuratoris sive in  
Indicibus Augusti Augusti  
Illustri ac Reverendissimo  
sive in

D I C T A

L I C A C E R N I D E R O  
Rectoris, & in Acad. S. Theol. Doct.  
ac Professoris publici pro tempore  
R E C T O R E



HASLIER. Ex Officina Geor. Dackert.  
Universitatis Typographi.



# RECTOR

ACADEMIÆ BASILIENSIS  
LUCAS GERNLERUS,

S. Theol. D. & Profefs. Ecclesiæq; Pastor,

LECTORI S. P. D.

**P**incipum & Magistratum  
primam in eo versari gloriam, si se, uti  
Ecclesiæ Nutritios, ita Scholarum, quæ  
Ecclesiæ sunt seminarium, Patronos &  
Altiores munificos præstiterint, Sapien-  
tium equidem nemo ambigit. Patriarchis,  
amicis Dei, prima hæc laus debetur, quo-  
rum ades pietatis fuerunt officina, literarumq;. Debetur Or-  
bis Instauratori Noacho, qui post diluvii vastitates, fixa in  
Latio sede, publicum Vetulonia Gymnasium, docendis divinis  
pariter humanisq; juribus, & mathematicum artibus, aperuit.  
Suam post Kirjath-Sepher, i. Civitatem literarum, Isræ-  
litarum Principes fundarunt, sic dictam, quod vel Legis, jam  
tùm exolevens, doctrina post Mosis excessum restaurata ist-  
hæc loci fuerit, Othoniele ergo dicta: vel quod Patriarcha-  
rum tabularium, in quo multa vetustatis monimenta custo-  
diebantur, hic repositum: vel quod illustrem Phœnicum Scho-  
lam Kiriath-Sepher hospitaretur: unde & קריית ספר, quasi libro-  
rum, vel eloquentiæ, Civitas vocabatur. Porro in Levita-  
rum octo & quadraginta Urbibus, Prophetarum Scholis,  
Judeorū מקדשים מעטים Sanctuariis parvis, Ezech. I I. 16.

us  
Berosus  
tradit de  
Iano. —  
Vide Epist. 177.  
Cl. Bucerij  
ad Pan. suist.  
A. 1703. )  
et ex Beroso  
Hosinianns  
de Origine Tem-  
plorum et Schola-  
rum. f. 91.  
Vide Friderici  
Lucæ Europæ-  
ij, Helicon,  
p. m. 297.

Lev. 26. 31. pietatis literarumq; studia tantisper conserva-  
 bantur, donec Academiam sanctiorem juxta & perfectiorem,  
 adultâ jam Ecclesia etate, Servator Optimus institueret, Pe-  
 rিপатeticam quidem illam, Marc. 16. 15. at Privilegiorum  
 majestate, virtutis, inquam, miraculosa insignibus, supra ho-  
 minum sortem, gloriosè erectam: in quam Ipse, Rector, lytas  
 primùm, subinde Doctores, LXX. qui Judæorū frequentarent  
 Synagogas, XII. autem, qui Orbi universo delicias suas com-  
 municarent, (ut nimirum tum XII. Patriarcharum, & LXX.  
 Seniorum numerum; tum XII. fontium Elim, & LXX. pal-  
 marum deserti typum, adimpleret) allegit, & uberrimo gra-  
 tiarum Pentecostalium imbri perfudit. Scholæ post ab ipsis  
 quog; Apostolis aperta. Gentium Academia, Philosophis con-  
 versis, Christo militarunt: illa præsertim à Ptolomæis usq; Re-  
 gibus celebrata, Alexandrina Musarum sedes. Ac licet suis  
 quog; Ecclesia Mariis, Neronibus, Julianis, tentata subinde  
 fuerit & fatigata; illis tamen cum ignominia succisis, suffecit  
 Deus Constantinos, Gratianos, Theodosios, Dagobertos, Caro-  
 los M. qui in celebrioribus suis Urbibus Scholas seu novas  
 constituerunt, seu veteres repararunt & locupletarunt. Nec  
 in eorum Successoribus, in corruptiora licet incidētibus secula,  
 cura ista deferbuit: quin imò cum divinæ veritatis radius  
 jam jam è crasis Papatūs tenebris emicare deberet, istius na-  
 li, sevicios Prodomos misit Deus, qui eâ fini, plerisq; tamen  
 non prævisâ, literarum Studia instaurarent. Inde Saxonia  
 suos Johannes, & Joh. Fridericos; suos Palatinatus Ruper-  
 tos & Fridericos; Hassia suos Philippos & Guilielmos; Me-  
 gapolitana suos Johannes & Albertos; Basilea nostra suos  
 Procere; S. P. Q. Basiliensem laudat: qui, non humano impe-  
 tu, sed divino haud dubiè motu excitatus, impetrato à Pio II.  
 P. Privilegio, publicam in Urbe sua Academiam, Anno

CLD LX. instituit, & Prid. Non. April. solemniter *quotempore*  
 dedicavit. *Academia insti. tu.*

Jam bis ergo seculū, volventibus astris, prateriit, ex quo no-  
 stra quoq; Basilea serenum illud bonarum literarum sidus, re-  
 ductis, quæ à squalore & barbarie immane quantum, heic &  
 ubiq; ferè locorum, oppressæ fuerant, linguarum, artium hu-  
 maniorum, rerumq; præstabiliū Studiis, affulgere cepit: quod  
 ipsum stricturis suis opacam sordidamq; superstitionis nubem,  
 quæ S. literarum studium nefariè temeraverat, sensim disspa-  
 vit, divinaq; Veritatis longè fulgentissimam facem paulò  
 post nobis accendit. Magnum Jehovæ Beneficium: cujus,  
 æquisimum sit, publicam quandam festamq; instituere ἀνά-  
 μνησιν! Et si enim neque cum Ludorum spectaculis, quibus Ro-  
 manorum quondam seculares feriæ luxuriabant; neque cum  
 Pontificiorum Jubilais, qui, velut universales remissionum  
 nundinæ, Paparum emporium, Papismi delicia, Ecclesiæ publi-  
 cum dehonestamentum sunt; neq; cum veteris quoq; populi,  
 rigidiori obnoxii disciplina, Jubilæo, qui in illum ἐπιαιτὸν κν-  
 εις δεχτὸν, Luc. 4. v. 19. feliciter finiit, quicquam nobis  
 commune esse debeat: quod tamen in illis & istis superstitio-  
 ne caruit, caretq; in hoc morale & perpetuum est; merito  
 nostro quoque muneri adscriptum imus, idq; agimus unicè, ut  
 Beneficium divinum, & lucens in eo gloriosa Dei virtus, lin-  
 guis animisq; prædicetur, eoq; nomine debita illi sacrificia, eu-  
 charistica partim, partim votiva, persolvantur, Incluti Ma-  
 gistratūs commendetur munificentia, & Beneficii memoria,  
 nobis renovata, in seras usq; ætates propagetur. Ita enim  
 Deus ipse præcipit: inquiramus in tempora prisca, & oc-  
 culta eructemus à prisco tempore: quæ audivimus ac  
 novimus, ut majores nostri narraverunt nobis, ne ce-  
 lemus filios eorum, generationem posteram, narratu-

ri laudes Jehovah, & robur ejus, & mirabilia ejus opera quæ fecit, &c. ut sciant generatio postera, filii nascituri surgentesque, enarrent filiis suis, Deut. 4. 32. Psalm. 78. v. 2. &c. *Eâ sorte alioqui gratia, vel maximè Dei, agunt, ut citò senescant. Tempus, edax rerum, earum memoriam facile depascit & obliterat. Quod tùm alibi iniquum, tùm in Musarum causâ iniquissimum foret: quando Musa, Mnemosynes filia, perpetuum ei monumentum debent, nec Lethæus amnis in infernis, ut fama, trahens obliviam venis, quicquam in eas juris habet. Et, cùm usus piè obtinuerit, ut, revoluto Sole, Anni ineuntis auspicia non nisi festâ quâdam solemnitate peragantur, & Urbium, Coloniarum, Magistratum, insignitorum Dei beneficiorum, anniversaria quædam celebrentur natalitia; quis nobis invidebit, TERTII ACADEMIÆ SECVLI auspicia solemnitate publicâ, tùm sacrâ, tùm Academicâ celebraturis?*

*Agite ergò, quicumq; Bonum publicum vestrum bonum esse creditis, lætitiâ quoq; publicam Vobis asserite, & ad primam novi seculi diem, quæ erit surgentis Aprilis IV. in Summi Templi, ubi olim Inauguratio facta, Aulam Theologicam, Orationem audituri Historicam, de Academia nostræ natalibus & progressu, cum publica ad DEUM O. M. & Magistratum Evergetem, exomologesi, (quam insequentibus diebus complura Promotionum, Disputationum, Orationum Exercitia excipient & comitabuntur) ad horam X. antemeridianam frequentes confluite. Ita, quos decet, reverenter, officiosè & amicè invitamus: ceteros verò etiam pro eâ, quâ sumus instructi auctoritate, seriò hortamur. Η χάρης μετ' ἡμῶν.*



**N**OBILISSIMI AMPLISSIMIQUE  
 Domini Tribuni plebis, Patriæ Patres, Studiorum Me-  
 cænates: Illustris & Generosissime D. Baro: Spectatis-  
 simi Domini Scholarcha: Excellentissimi, Clarissimiq;  
 Facultatum omnium Artiumq; Professores: Senatores  
 Prudentissimi: Reverendi Ecclesiæ Pastores ac Sym-  
 mysta: Cæteri, qui ad solemnia nostra confluxistis, san-  
 guinis nobilitate, munerũ auctoritate, doctrinæ splen-  
 dore, meritorum gloriã præstantissimi Viri: Tu deniq;  
 lectissima Studiosæ juventutis Corona, Spes Patriæ, Ec-  
 clesiæ & Reipublicæ seminarium florentissimum.



Loriosa fuit Romanæ quon- Egord:  
 dam Reip. facies, erectumque no-  
 men: quod per omnium nationum  
 ora, libros, laudes volitando, excel-  
 sam gentis virtutem, pari comita-  
 tam successũ & felicitate, semper  
 prædicavit. Vix tamen aliud istã in  
 gente prædicari æquè meretur, ac singularis quædam,  
 (ut tunc quidem seculum erat) erga DEOS justitia,  
 quam Religionem vocamus: quæ, licet inter caligantes  
 deformesque superstitionum nubes, emicuit tamen  
 inter cætera gentis decora, velut inter ignes Luna mino-  
 res. Non jam ordinaria Gentis sacra, non Diis conse-  
 cratas aras, non delubra, non triumphos, non quævis  
 Ludorum, statis recurrentium temporibus, Solennia,  
 quæ

quæ vel placandæ Deûm iræ, vel pro salute publicâ, vel gratiæ populi demerendæ, vel *eruganda*, ut Cælius Rhodiginus loquitur, *matutinæ & striatæ fronti*, celebrabantur; commemoramus. Unam respicimus *Ludorum*, quos vocabant, *Secularium* festivitatem, gentilitiæ Religionis genuinam imaginem, quâ non altera vel majori instructa apparatu, vel sumptu pompâve splendidiore celebrata.

Nimirum laborantibus pestilentiam civibus opem la-turus P. Valerius Poplicola, primus cum Bruto Romanorum Consul, ad aram Junoniam, in Campi Martii extremo defossam, egestam humo, sacra persolvit, victimas Proserpinæ mactavit, ludos & lectisternia trinoctio fecit, incolumitatem genti restituit, aram denique terram, sicut antè fuerat, exaggeratam denuò occuluit, inscriptam titulo: *P. Val. Poplicola frumentarium Campum Diti & Proserpine consecravi, & Ludos Diti ac Proserpine, Romanorum salutis ergo, feci.*

*Ludi secula- res Romanorum.* " Primum hoc Ludorum initium in Secularia post  
" Sacra conversum, centesimo quoque Anno, solemni  
" pompâ instauratum: instaurantium fervore seculi  
" terminum non raro prævertente. Instantibus ludis to-  
" tam Italiâ præcones missitabantur, convocatum ad Lu-  
" dos, quos nec vidissent hactenus, nec posthac visuri es-  
" sent. Tum XV. Viri, priusquam spectacula ederentur,  
" in Capitolium ascendentes, sacra de more agita-  
" bant, piamina dividebant populo, qui insolito se si-  
" stebat numero, summis & imis, omni ætate, sexu omni  
" confluentibus. Quando verò festus illuxerat dies, tri-  
" duum trinoctiumque totum sacris intenti, Jovi tauros  
" candidos, juvencam nitidam Junoni, Terræ scropham,  
" Parcis

Parcis agnas furvas, caprigenumque pecus maſta-  
 bant. Apollinem precabantur, ut unâ Româ nihil  
 eſſet ejus auſpiciis majus, nihil excellentius; Dia-  
 nam, ut partus fortunaret; Parcas, ut quæ inſtarent  
 fata, verterent in melius; Deos cæteros, ut mo-  
 rum probitatem juventuti, ſenibus quietem, Ro-  
 mulæ genti decus, & felicitatis omne genus indul-  
 gerent. Die ſequenti matronas nobiles, quâ horâ  
 præcepiſſet Oraculum, convenire in Capitolium,  
 ſupplicare Deo, frequentare lectiſterna, hymnos  
 accinere, moſ habebat. Tertio denique, in Templo  
 Apollinis Palatini ter noveni pueri prætextati, toti-  
 demque virgines, patrimi omnes matrimi; Græcâ &  
 Romanâ voce carmina concinebant & pæanas, qui-  
 bus Imperii ſalutem & incolumitatem gentis diis im-  
 mortalibus ibant commendatum.

Quòd ſi Romani, Cimmeriis paganifmi tenebris  
 demerſi, inani; ritum pompâ Deo ignoto ſine Deo  
 obſtrepentes, Ludis tamen iſtis teſtatum voluere,  
 non ſe Reipublicæ ſuæ ſalutem ſibi vendicare, non  
 ſuæ transcriptum ire providentiæ; ſed deorum, quos  
 credebant, Tutelarium, urbis agri; cuſtodum, boni-  
 tatem prædicare: quanto æquius, ut qui meliori agi-  
 mus ſorte, Chriſto authorati ſumus univerſi, ubi ali-  
 quem celebramus noſtræ Natalem felicitatis, bona no-  
 ſtra fortunaſque laudamus; non nobis litandū arbitre-  
 mur, non induſtriam propriam, non vires & copias,  
 non conſilia, non rete & ſagenam noſtram adoremus;  
 ſed uni nos ſuſtinenti & ornanti Jehovæ devoti ſuppli-  
 cemus, uni Deo Vindici noſtro, qui ab hoſtium inju-  
 riis nos vindicando, gloriæ ſuæ Vindicem agit, τω τηξα

pariter & *χαριστήρια* mactemus, & , valere iusâ tetrâ paganorum superstitione, in laudes, vota, precesq; ita resolvamur, ut festivitas nostra illius exprimat imaginem pietatis, quæ in Viro secundum cor Dei, *Non nobis Domine, non nobis*, exclamavit ?

*Prepositio.*

Nostra hæc cura erit hodierno die, Auditores, quo Academia nostra alterum à sui Fundatione seculum emensa, Statori Vindiciq; suo, O.M. Deo, seculare carmen, Jubilæi sacri canticum sacrum debet, ejusq; laudes, quantâ potest cogitandi contentione, quanto licet devotionis ardore, resonare. Hic enim Annus, hæc ipsa dies, tertius veluti Natalis noster est, quo Deus, Sapientiæ Præses, Inclyti Senatûs Populiq; Basiliensis auctoritate & munificentia, proprium Musis larem & focum, intra crepidinem nostram consecravit, literasq; meliores, quibus nihil est ad benè beateque vivendum aptius, nihil ad ornandam hominum societatem efficacius, nihil ipso dignius homine, ab ignorantia tenebris barbarieque vindicare cepit. Nec cepit tantum, sed continenti tot annorum, imò seculi euntis redeuntisque decursu, beneficium continuavit, ociaque illa, quæ sacra nobis esse jusserat, propria insuper fecit solidaque. Admirandum Bonitatis **DOMINI** argumentum ! quod non Romanorum hostias, nec hecatombas, non hippopotamos nec rhinocerotes; non pervigilia nec piamina, non gladiatorum pugnas, non insanos fanaticorum hymnos aut carmina, similesq; theatricorum aut scenicorum gestus, à nobis deposcit; sed humilem excelsi Beneficii memoriam, gratam ad dignam judicij lancem ponderati admirationem, Benefactoris laudes, Benigni Magistra-

gistratus venerationem & cultum, religiosam officii curam, vota denique & preces, ut quod solidum nobis fuit hactenus, in seculas quoque aetates consolidetur, nullâ temporum vicissitudine antiquandum, nullius nepotum seriei intervertendum usibus, efflagitat.

Quam vellem, Auditores, quæ mihi incumbit, de tam nobili argumento perorandi necessitas, eorum cuidam cessisset Virorum, quorum aureum eloquentiæ flumen, & lacteam dicendi venam, & in Orando gravitatem toties admirati estis! Sperarem fore, ut neque Academiae laudibus quicquam detritum, nec horam istam, festivæ celebritati sacratam, malè collocatam; nec illustre Auditorium cum fastidio detentum, ulli quereremur. Nunc, quando homini à benè dicendi præsidii vel maximè imparato, hæ partes injunctæ sunt, nec illas vel, quam Procerum decretis debet, obedientia; vel muneris, quod in præsens sustinet, conscientia detrectare permisit; contraria impendere omnia videntur. Sic tamen fiat oportet: & sic Æterno rerum Arbitro haud dubiè visum, ut quæ humanæ eloquentiæ flosculis ac tessellis nō indigent, Magnalia sua, Theologi operâ, quem vel officium procul habere jubet omne verborum lenocinium, stylo simplici & sacro commendarentur.

Ergò Academiae Basiliensis fundatæ, dedicatæ, auctæ, restitutæ, propagatæ historiam, simplici & neglecto dicendi genere, ut in macilento veluti corpore hoc apertius emineant & Veritatis historiæ, & Bonitatis Dei tori ac nervi, aggredimur contexere. Favete

*Benev. Capotia*

num ejus cupitis religiosè promotum, *Academia Patro-  
ni*. Adeste animis, quicumque Academiae praeestis, &  
pubem Deo consecranteam divinis humanisque literis  
fatagitis imbuere, *Academiae Antecessores*. Vos denique  
obnoxias nobis tantisper quaesumus commodate au-  
res, quotquot Academiae scepro obnoxii estis, *Acade-  
mia Cives*, non meum tantum audituri, sed splendidis-  
simi hujus Confessus pro Academia, almam Matrem ve-  
stram, charisterium, & ejusdem pro eadem votum.

*Precatio ad  
Deum.*

Tu verò, absque cujus ope omnis laeva auspica-  
tio est, Optime Max. Deus, ades nobis opera tua,  
mirabilia tua, in Academia, tuam prole, praedicatu-  
ris, collaudaturis: pande lumina mentis, modera-  
re linguae plectrum, dirige per obliqua euntem aut  
oblita aevi,

*Ut tibi carmen, Pater ac Redemptor,  
Corde quod promptum canimus, probetur:  
Sera mors donec tua nos canentes  
Facta coronet.*

Optabat olim Crates Philosophus, editiorem quan-  
dam Civitatis speculam, aut montis excelsi jugum  
conscendere, summaque vocis contentione exclama-  
re: *Quò ferimini, mortales, qui ad possidendas opes magno  
studio incumbitis; filiorum verò, quibus illa relinquatis, cu-  
ram exiguam geritis!* Jure meritoque optabat. Si enim  
quicquam est, quod fluxas sistere possit opes & fuga-  
ces, juxtaque bonos patriae cives conciliare; cura cer-  
tè est, culturaque ingeniorum. Haec propria conciliat,  
quibus tuti in ambulemus, doctrinae virtutisque praesi-  
dia: aliis externo duntaxat fortunae fulcimento nixis,

eo subducto, corruentibus miserè, ingenio incultis. Hæc intercedit, ut ne statuis Colossicis, Plutarchi iudicium est, foris heroicâ formâ & propè divinâ ornat; intus verò terrâ, lapidibus, plumbo refertis; aut insigni phaleris equo, sed fero & intractato, & qui nec ferre sessorem didicit, nec frænum pati, similes evadamus.

Plurimum potest, fateor, bonitas nature, quæ scientiarum semina, virtutis igniculos nobis in se vit, benigna Mater. At squaler neglectum, ferax etiam, solum, & quò est indole præstantiore, eò magis culturâ destitutum senescit. Et corporis nostri robur annon reunditur oscitantia, luxu, socordia, marcescitq;: cum si vel molle naturâ fuisset, exercitâ improbo labore subactumque, adolesceret in summas vires? Ipsas cernimus bestias vel immanissimas industriâ cicurari & mitescere pleraque, cicuras contrâ efferari neglectas. Pariter animus noster, divinitatis aura, ubi sepultis in ipso virtutis ignibus, derelinquitur; riget, horret, squaler incultus, totus obbrutescit: illidem verò, cum studio excitantur, ratione figurantur, assuetudine & exercitio perficiuntur, hominem reddunt. Latet enim in his artis studiique exercitamentis divinæ cuiusdam virtutis energia, ut, dextrè adhibita, validum etiam naturæ vitium superent certando perdomentque.

Viderunt hoc Principes & Magistratus, queis de meliore luto Deus præcordia finxit, & ne quicquam Respub. hac ex parte caperet detrimenti, non Musæa tantû passim, & Scholas, & Collegia, & Gymnasia; sed integras etiam virorum literatorum instituerunt Res-

publicas, quas nunc **ACADEMIAS** vocant: in quibus Religio, primarius societatis nervus, vindicaretur, artes, linguę, scientiæ omnes volentibus prælegerentur, Viri, Republ. digni, Reip. pararentur, & ad sanctiora quævis munia instructi.

*Academ. Basil.  
fundata S. A.  
1459.*

Quales quidem Heroās, nunquā fatis laudatos, ut vestigiis consequeretur **S. P. Q. Basil. An. cIo cccc Lix.** de ingeniis civium suorum studiosius excolendis, & faciendā illis propriā literarum sede, consilium agitare cepit. Hęc enim Reip. deesse una gloria videbatur, ut, quæ summa jam esset, bonarum literarum studio, optima evaderet: quamque torvo dubioque Marte obtinere hactenū non poterat, Artium benigniore vultu consequeretur, omnimodam libertatem. Dicere solebat Beatus quondam Rhenanus, *sicut Romanae urbis potentia non re aliā, quā mole suā laboraverit & corruerit tandem: sic Gymnasiorum & Academiarum multitudinem remora esse Studiorum progressui.* Nihil ab hac parte Basiliensib. metuendū erat. Exulabant enim eo tempore Musæ à potissimis Orbis partibus: paucis hospitabantur. In Germaniā certè Phoenice rariores erant. Nulla Rauracis erat Academia, Suevis, Helvetiis, confinii nulla. Non erat, ab Ubiis si discesseris & Myrtilito, per universum Rheni tractum: ut regio, in quā Taciti ætate, literarum secreta viri pariter ac foeminae ignorarant, nondum tum convaluisset penitus à morbo, intelligatur.

“ Honestius esse, lacte nativo, quā emittio, infantem sustentari, inque; ejus nutriri sinu, è cujus visceribus effusus est, ipse renuntiat sensus humanitatis. Noluit benigna Mater, **BASILEA**, filios, noluit Cives suos alie-

no nutriri doctrinæ lacte: noluit, à curâ suâ sinuque abstracti, impendio magno, vicarias quærent matres, ex quibus succum traherent Religionis, sapientiæ, pietatis; ne fortè, ubi adolevissent, alternante vices affectu, in Rempub. æquè nutricem, atque in patriam propenderent: sed eos sibi soli vindicatura, alios attractura, velut æterno quodam læta puerperio, ubera sua divinæ humanæque sapientiæ distenta musto demittere & porrigere cepit.

Ipsa invitabat Urbis ratio, ingeniumque loci, quo non alia Urbs aptior literarum ocio videbatur. Basileæ enim ea commoditas est, ut in ipsis Galliæ, Italiæ, & Germaniæ sita colliminio, humanitatis & virtutis commercium affectare cum omnibus videatur. Rheno insuper, qui mediam interlabitur, irrigua, torrentibus tribus stipata, importandi quæcunque, exportandique, occasiones habet. Sufficit ei annonæ proventus vicina Sequanorum & Tribocorum tellus, si quando nativis ipsa opibus destituitur. Rarò destituitur. Solum nacta, quale Valentiniani Robur, & Olionis meruit castrum, lætum & foecundum, cuique cum Cerere & annona perennis gratia. Turres conscède Basilicæ nostræ: quæ subjecta facies? cujus frontem animumque non explicet ista tam grata varietas? Ibi hortos videas floribus halantes; hîc pecudes in silvis errantes & pascuis: ibi prata ridentia, & pomaria, & arbusta, apum examinibus læta; hîc colles vitibus amictos, & arva subacta, & foetos seminibus agros, campestres, collinos, montanos, nunquam recusantes imperium cultoris: & quod de Lovanio suo Lipsius, *loca passim videbis vacua & delectantia, prata, agros, vineas,*

*Basileæ laus*

*neas, lucos & rus in ipsa urbe.* Certè quemcunque tandem Basilea referat Conditorem, vel quàm diu cunq; ante Ammianum Marcellinum, qui primus circa Annum salutis C C C L X X X. *Basilie* meminit, steterit; nobis *Βασιλείαν* hæc, quam diximus, soli facies sub oculos statuit, & præsignis clementia cœli, aërisque puri & ridentis grata temperies. Amœnitas verò sitûs, quæq; pomœrius & deambulacris inest, nativa jucunditas, in Luco præsertim Petrino, & contiguis Basilicæ nostræ, Rheno imminentibus, Tempe, quæ dulcedine sui, non secûs atq; Homericæ lotos, captos tenent peregrinantes, nil nisi studiorum amœnitates, velut arcano quodam naturæ consensu, requirere videbatur.

*Subi quibus  
eadem: Janda,  
ta fuerit.*

Tractabant tùm rerum habenas excellentes virtute Proceres, cùm primùm amœnissimam urbem amœniorum subiit prolubium literarum. Inclyti natalium splendore Viri, *Joannes de Flachsland*, & *Joannes de Berensfels*, Nundinarum nostrarum apud *Frider. III.* Imper. An. C I O C D L X X I. Procurator, *Petrus* itèm *Rot*, Hierosolymitanus Eques, Vir sive ad saga eundum, sive redeundum ad togas esset, expeditus, qui Murathensi cum primis victoriâ, militum Tribunus, paulò pòst inclaruit; Reipub. Consulatuungebantur. *Balthasarus Schilling* & *Joannes Brunnenstein*, honorum pariter atque curarum socii, Tribunatum administrabant. Hi Senatam civesque cogunt, literarum dignitatem commendatum eunt, quàm honorificum, quàm necessarium, quàm opportunum Reipub. foret, literarum Studiis conjungi, animis representant. Ne vilioribus illis, quæ manu tantùm constant, vitæ instrumenta parant, artibus toti im-

morian-

morianur; quin, pulsâ ruditatis ignominiâ, Divâ rusticanâ, artium potiùs studiis liberaliorum intendant, mōnent & exhortantur. Duplum cernere Virum literis tractatum, ingenia iis exerceri, acui sagacitatem mentis, feroces temperari, torpentes erigi, timidos firmari. *Literarum scientiam*, Julii I I. verbo, *in plebejis argentum esse, in nobilibus gemmas*: in Ducibus victoriam. Bellum enim ipsum non furore agi: nec solis corporum viribus, Andabatarum more, in acie depugnari, sed prudentiâ rem perfici consilioque. Urbem incendiis terræmotibusque afflictam, pestilentiali strage paulatim vacuefactam, sic instauratum & frequentatum iri honestissimè. Eos porrò, qui literas alunt, vicissim à literis ali, gratiam reciprocantibus, preciumque hospiti suo refundentibus, hospitio dignissimum.

Dixerant Reipub. Moderatores, quando in eorum sententiam summi & imi, Senatores Civesq; , pedibus concesserunt omnes. Institutioni Academiae, Studiiq; universalis, quod semper felix esse jubeat Deus! operam navandam, quærenda Privilegia & Confirmationem, S. P. Q. Basiliensis communi decreto statuit.

Commodum tùm accedit, non nisi illius dispensatione, qui tempora & opportunitates in suâ ipsius auctoritate statuit, ut, Basiliensibus Academiae ambientibus jura, Sedes Romana Pio II. Pontifice, priùs *Aeneâ Sylvio*, natione Tusco, patriâ Senensi, gente Piccolomineo, infessa esset. Vir erat, (neque enim ob eam, quam gerebat personam, virtutè ejus sepultam oportet. Suus Virtuti honos, cultus ubique suus debetur, quodcunque incolat hospitium: nec Æthiopis dentes

*Aeneâ Sylvio  
laus.*

minùs propterea carent, quòd Æthiopsis sunt) Vir erat, inquam, ad magna natus, & qui non minùs virtutis facibus, quàm gloriæ fascibus antecelluit, morum facilitate, ingenii vigore & dexteritate, prudentiâ singulari, & incredibili, quo flagrabat, literarum ardore commendabilis, quòque adeò vix alter eruditus magis, & ut Munsterus noster loquitur, *exercitatore vitâ*, Præfulis illud fastigium conscendit. *Ejus voluptas omnis, Platinae refero verba, quando à munere publico vacabat, in lectione & scriptione frequenti reposita erat. Libros plusquam saphyros & smaragdos charos habuit, quibus chrysolitorum magnam copiam inesse dicebat.*

Non erat difficile Basiliensium Oratoribus à tanto literarum Mecœnate impetrare orando & obtinere literarum sacrarium. Facilem se Præful exhibuit talia orantibus, sed Basiliensibus, quorum intra mœnia, Concilii causâ, totum decennium tranquillè vixerat, longè facilimum.

Facere non possum, Auditores, quin de Concilio Basiliensi, celebri hodieque, vel propter inclinantis indicia Papatùs, Conventu, nonnulla interjiciam. Martinus V. P. eoque extincto Eugenius IV. Anno M C C C C XXXI. Hussitis, sub Ecclesiæ reformandæ prætextu, extirpandis, Concilium Basileam vocant, ut, qui armis debellari non poterant, Concilio fatigentur. Æneas, cujus virtutibus obstabat res angusta domi, quiq; vitam, Platina teste, adeò tùm parcè duriterque agebat, ut quævis ruris officia adire rerum inopiâ cogeretur, *Dominicum Capranicum*, amplissimũ Virum, secutus, ad Concilium proficiscitur, inclinatam, si quâ liceret, erecturus fortunam, melioremque

para-

Su

Sec

Concil. Basile.

paraturus. Quo in conventu tantum apud Patres ingenii valuit dexteritate, ut Scriba, Ceremoniarum Clericus, XII. Vir, seu pars Censorii Magistratus, legi mereretur. Expectabantur interim in Concilio Græci, cum Occidentis Ecclesiâ coadunandi, *Jo. Palæologus*, & *Josephus* Patriarcha Constantinopolitanus: cum ingenti comitatu viam ingressi. Eugenius, ancipite pressus Synodi formidine, Bononiam Patres transferre conatur, Græcos, quasi Alpes transgredi nō queant, prætexit. Subolent Patribus subdolæ artes: resistunt; Pontificemq; , saniora capeſſat consilia, obsecrant: ni faxit, constituturos in illum, quod in desertorem causæ sanctæ conveniat decerni. Esse in Constantiensi pridem definitum: *Sacrum Concilium in Spiritu Sancto congregatum habere auctoritatem supra Pontificem*. Cedit Pontifex, monituq; Imperatoris auctoritatem Concilio restituit. Comparent interim blandissimè invitati Bohemi, Procopio Duce, & Dei causam, suprâ quàm Patres voluissent, totos quinquaginta dies eâ vi veritatis, animiq; asserunt magnitudine, ut sacri usum calicis à Synodo obtineant, à Sigismundo Imp. paulò pòst Ratisbonæ comprobatum firmatumq; . Mox Synodus, nimiâ Tyrannide insultantem Ecclesiis, Pontificatum in ordinem coactura, pragmaticam, ut vocant, edidit sanctionem, quâ expectationes functionum reprobata, Annata, quas vocant, interdita, quæ pro palliis, investituris, consecrationibus, ordinibus exigebantur, recisa omninò. Metuens inde ærario suo Pontifex, pristina translationis redordiri consilia, Concilium exauctorare, Ferrariam, ubi jam appulerant Græci, Patres evocare, pecuniarum

usum, Concilio collectarū, intervertere. Nihil heic de jure suo, de animi magnitudine nihil remittens Synodus, renovato Constantiensi scito, decernit: *Catholica esse veritatē fidei, sacrum generale Concilium supra Papam, & alium quemvis, potestatem habere.* Decreti justitiam comprobat Æneas noster: sed quod tūm probabat Æneas, sibi pōst consulens Pius damnavit, ut magis piē nondum Pius, quā existens Pius, docuisse de hoc argumento comperiat. Non sibi tantūm Papam subjiciunt Patres: dicam ei insuper gravem impingunt, Basileam in jus vocant, comparere nolentē de gradu deiciunt, & Amadeum Allobrogem, Felicem V. nuncupatum, Pontificem substituunt. Amadeum, quod uxoratus fuisset, repellere nitebantur nonnulli: Alius quidam tuebatur. *Quod de uxore, inquit ille, dicitur, nihilipendo, cū non solum, qui uxorem habuit, sed uxorem adhuc habens, queat assumi. Fuerunt, ut scitis, etiam in matrimonio Pontifices, nec Petrus, Apostolorum Princeps, uxore caruit. Quid ista modō objicimus? Fortasse non esset pejus, Sacerdotes quamplures uxorari: quoniam multi salvarentur in Sacerdotio conjugato, qui sterili in Presbyteratu damnantur.*

Triumphabat ergō Veritas in ipsa Veritatis oppugnatione, & sedis purpuratæ everfionem portendebat. Conjugii jura tuebatur Synodus: sacrilegam, quæ sacrum Christi epulum temeraverat, manū retraxit: Præsidem denique ipsum tonantē licet fulminantēq; cælum terrā miscentem, ferro, sclopetis, milite cataphracto sese munientem, de ponte præcipitavit. Dignissimus Confessus, qui primam Basiliensium Academiae, validiūs aliquando Romam quassaturæ, præberet

beret occasionem ! Eo ipso enim Concilio singularem sibi Æneæ benevolentiam Basilea conciliavit, non grato solùm hospitio eum fovendo, sed & Concilii juvando actiones progressumque. Sed ipsum, sultis, ne quid affectui à me tribui putetis, audite. *Servaverunt*, inquit, *semper hunc morem cives, ut in omni negotio adesse curarent, quod pariturum dissensiones arbitrentur, illud præcipuè adcaventes, ne qui tumultus fierent, nève alia, quàm verbales, rixæ. Miràq; adeò sapientiã sunt, ut nemo usq; hodiè querelam adversus eos habuerit, violata per eos fidei. Servarunt enim dum fuere presidentes Eugenii, quod publica fides continuit, & rursus Concilio nullã in parte defuerunt. Quare, si usquam sunt cives, quipiam de universali Ecclesiã benè meriti, ea profectò laus Basiliensium fuerit.*

Infestabat intereà Urbem tabida lues, & mista fennum ac juvenum funera densabat, adeò fervescens, ut magnæ domus vacuæ vivis, plenæ mortuis remanerent. Ipsum Concilii Patrum, quos Arelatensis constantia retraxit à fugã universos, Senaculum pervasit, Viros, præ cæteris claros, quorum busta hodieque in Carthusiã visuntur, *Ludovicum* Patriarcham Aquileiensem, & *Ludovicum* Pontanum, admirabilis memoriæ IC<sup>m</sup>. aliosque absumpsit. *Æneam Sylvium* ipsa hæc contagia arctiùs Basiliensibus devinxit. Coreptus enim & ipse, civium, nihil sibi ex lue formidantium, juvabatur humanitate & constantiã, suæ genti insuetã, quã morti etiam vicinus, (jam enim pro temporum illorum superstitione inunctus erat) non deferebatur.

Grata sedebat Viro, ad supremam post Sedem evectò, horum in se & Ecclesiam recordatio meritum.

*lues graspat  
L'ær.*

Unde, Basiliensium intellectu petitione, tandem reperisse se lætabatur, quo pietatem ipsorum remunerare, dignumque pietate monumentum, pietatis seminarium, statuere posset. Annuit lubens, & Studio generali, quod parturiebat Basilea, plenissimam impartitur auctoritatem, quâ *in Theologiâ, in Jure utroq, & quâlibet licitâ Facultate*, ipsius Diplomatis refero verba, *literæ doceantur, fides dilatetur, erudiantur simplices, aequitas seruetur, judicii vigeat ratio, illuminentur mentes, & intellectus hominum illustrentur: ut Basilea producat deinceps viros consilii maturitate conspicuos, Virtutum redimitos ornatibus, sitq, ibi Scientiarum fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi, literarum cupientes imbui documentis.* Denique Academiam Bononiæ filiam; & Episcopum Basiliensem eidem Cancellarium constituit, Literis Mantuæ datis, prid. Eid. IX<sup>bris</sup>, Anno cIo cccc LIX.

Accepto Diplomate Basilienses tanti concessionem beneficii impensè sibi gratulantur, ad strenuè exequendum opus, tam ardentibus expetitum votis, tam diuturnâ desideratum expectatione, toti inflamman-  
 tur. Insistit Operi Amplissimus Senatus: insistit calidissimè. Consultatur de Inaugurationis solenniore pompâ, quando res, quæ agebatur, non secreti umbram, sed publicam literatorum lucem & plausum merebatur. Dies dicitur Academiæ Natalis, D. Ambrosio, famigeratissimo Liguriæ primum Præsidi, tum Ecclesiæ Doctori, sacer, Prid. Nonas Apriles Anni sexagesimi: ut qui dies emortalis fuerat Heroi tanto, sceptro pariter & literis inclyto; idem alios ad imperandum juxtâ & docendum idoneos, opitulante  
 Acade-

Academiâ, eniteretur. Vix illuxerat expectata dies, quando ad Ædes istas, quarum interius adytum solemnibus destinatum erat, affluerunt catervatim cives & exteri, summi & imi, & perniciousis alis advolarunt ad spectandam Procerum pietatem, & illustri emporii (cujus merces doctrina & honos; precium literarum studia forent) dedicationem. Comparuit Illustrissimus Princeps, *Dominus Johannes*, Episcopus Basiliensis, designatus Academiæ Cancellarius, & Pontificali amictus purpurâ sedem occupavit. Accessit Nobilissimus & Amplissimus Reipub. Consul, equestri zonâ conspicuus Heros, *D. Joh. à Flachsland*, cum cæteris Curia delegatis. Totus item urbis Clerus, & quicquid illa habebat literis tinctum, in unum se Templi adytum infundebat. Factâ re divinâ, pro seculi more, ardentibusq; ad Deum votis pro successu auspicato præmissis, Consul Pontificis Diploma Præfati, eleganti cum primis offert prosphonemate. Acceptum Præfati sonorâ præconis voce prælegi universæ panegyri jubet: tum disertâ vicissim oratione circumfusam concionem alloquitur, Palladii Academiæ dignitatem præclarè commendat, sibi vendicat delatum Cancellarii munus, honorum titulos, studiorum præmia, dignis legitime conferendi, potestatem facit, ad Academiam suo communiendam Magistratu se convertit, Virumque nobilem, doctrinâ, prudentiâ, morum gravitate conspicuum, Doctorem *Georgium Andlovium*, Præpositum Basiliensem & Lutenbacensem, cujus monumentum in sacello Galli, sub ipsum in ædem hanc ingressum, transivimus, Rectorem primum designat. Finem deniq; solennitati imponit

ponit Musica, symphonicorum tinnula vocibus, fidiumque modulis, quæ pro rei, quæ agebatur, Religione, Ambrosianum, Ambrosii festo, hymnum, non sine acriori devotionis inflammatione, resonuit.

Hæc natalitia dies erat Academiae Basiliensi, murice & encausto in omne ævum notabilis, quâ illustre hoc literarum depositum suo Basilea gremio excepit.

Inclytus dein Magistratus, cum tota Civium communitate, quo animo erga literas literarumque cultores essent, præclare contestantur: quando, surgenti Academiae sui quoque amplissimi que favoris notas adjiciunt, & die Mercurii ante Pentecosten ejusdem Anni, Consule *Johanne de Berensfels*, Equite aurato, Academicos quoscunque in tutelam sinumque suum confovendos suscipiunt, Tribunal illis proprium statuunt, & muneribus oneribusque publicis & privatis exemptos, non Bononiensis tantum, sed & cæterarum illustrium Universitatum privilegiis exornant. Rector cum Senatu certis convenit capitibus, ne qui studiosorum subingressi specie, fraudes necere; cæteri verò, velut ad scientiarum mercatum quendam huc confluentes, tranquille pacificeque cum civibus agere possent. Subinde Professiones Theologiae duæ, Jurium tres, (quarum duæ Canonibus, Legibus tertia operaretur) Medicinae una, Artium aliquot instituuntur. De dote Academiae prospicitur sufficienti: stipendia Professoribus Octavo Eidus VII<sup>bres</sup> constituantur: quando, ut de altari Sacerdos, de Evangelio Apostolorum Senatus vivat, & literarum mystæ literis alantur, æquissimum judicabatur. Leguntur Studiis  
Senatus

Senatûs nomine Patroni, quos *Scholarchas* hodiè vocamus: inter quos tum *Petrus Sürlius*, equestri baltheo inter patritios decorus, eminebat. Sceptrum argenteum auro distinctû Academiae consignatur, dignitatis insigne & imperii, quo Corpus Academicum cum auctoritate regeretur. Sigilla Academiae & Facultatibus, bina singulis, ex argento exsculpta, quibus confessuum placita, & quaecunque publicae munimen auctoritatis desiderarent, expedirentur. Locus literarum exercitiis proprius dicatus, qui amœnissimo prospectu, inter pontem & Templi istius aream medius, Rheno imminet, *Collegium* vulgò *inferius* à situ vocatus. Domus illa *Scalariis* primùm, nobilissimis Basileae Aboriginibus, habitata, à *Jacobo* postmodùm *Zibolio* patritio, Tribunitiae dignitatis Viro, empta, eoque privata permansit, donec nurus ejus *Sophia de Rotberg*, illustre sui sexûs & sanctimoniae decus, Reip. eam vendidisset. Respublica usibus literatorum, Exercitiorum, Inaugurationum, & Consiliorum Actibus, splendidam domum (ut quae Scalarios olim incolas habuisset, Scholares in posterum exciperet) sacrum iovit. Rectoris industriam & Assessorum, Leges, Reip. anima, & communes Academiae toti, & propriae Facultatibus, paulatim conduntur: nō ut ingenuae mentes & liberalia discantium ingenia, frænâ morderenescia, servitutis & jugi impatientia, duriùs constringerentur; sed ut effusiores caverentur habenâ, & τὴν ἐλευθερίαν omnia & ἀσχημόνως perageretur, tumultuatio quae vis, nunquam non infesta publico atq; inimica, eliminaretur. Suus cuilibet Ordini Decanus designatur: Theologis *Casparus Maner*, Dominicanus: Jurisconsultis, *Pe-*

*trus Zem Lufft*, Canonicus, in Cryptâ hujus Ædis sepultus: Medicis, *Wernerus Wölflius*, Rotenburgensis Suevus, Medicorum Nomotheta, qui in Cœnobio Monialium, quibus Magdalenaë poenitentia nomen fecit, monumentum vitâ functus meruit: Philosophis *Johannes Creutzer*, Dominicanus, & Templi hujus Canonicus, cujus Tractatus de illustribus Ordinis sui Viris mss. in Bibliotheca asservatur, Caput præficitur. His veluti alis elevata recens Academia non per Rauracum tantum, sed per universum propè Germanum Orbem famâ volitare cepit, quâ mox acciti undequaque literarum alumni nomina pittacio eo numero intulerunt, ut primus Rector Andlovius cives ultra centenos, primi semestris spacio (hec enim tum Magistratus periodus erat) numeraverit.

Sic, Auditores, Academia vestra expetita, instituta, dedicata fuit. Sic triumphari Basileaë seculi ignorantia & barbaries; restitui scientia cum disciplina cepit. Sic Reipub. Proceres eorum numero feliciter se intulerunt, qui apud famosum illum Vet. Test. Evangelistam, sub augusto *Nutritiorum Ecclesia* titulo, Regno Christi promittuntur: *Eerunt Reges Nutritii tui, & famine principes earum Nutrices tuae*. Sic Deus ipse miserationum Parens ex animarum plus quam Ægyptiacâ servitute populum suum vindicaturus, viam operi sternere voluit, linguarum artiumq; studiis instauratis, hancq; , exoriturum velut Evangelici Solis prænunciam, auroram dare.

Quod ne temerè à nobis dictum existimetis, attendite quæso, omnium Ordinum honoratissimi Auditores, ad felices, quos Deus præstitit, Academiae progressus,

sus, quidq; boni quaq; Annorum periodus adjecerit  
 Ecclesiæ, porro observate. Quòd si aliquod fortè ani-  
 mos vestros subit dicentis tædium, ea vos audituros  
 promitto, quæ suâ & utilitate & jucunditate tædium,  
 fastidium omne, faciliè abstergent. Non una dies  
 omnia dedit. Successus continuus coronavit opus.  
 Gemini periodum Seculi in quatuor partimur *Quin-*  
*quagenarios, Jubileos* veteri populo vocatos, quo-  
 rum singuli sua habuerunt Academiæ decora, virtu-  
 tis nomina, Ecclesiæ præsidia, quæ restitutione Evan-  
 gelii vel attraxerunt præcurrendo, vel subsequendo  
 instandoque perfecerunt. O' quis se mihi jam campus  
 Orationis expandit! quoties abripiet dicentem tor-  
 rens Eruditionis, qui tot illustres Academiæ flores fœ-  
 cundavit! Ut tamen retinear temporis, instituti &  
 patientiæ vestræ repagulis, hæc cautio erit.

Rem Typographicam, quæ omni eruditioni instru-  
 menta parat, eidem ferè cum Academiâ nostrâ tem-  
 poris periodo sua debere incunabula novistis, alte-  
 ro duntaxat decennio vetustiore eâ. Artem, quæ  
 omnibus Antiquitatis inventis palmâ ambigam red-  
 dit, prima Germanorum gloria, vera victrix barba-  
 riei, unicū contra tineas & blattas, omnis eruditionis  
 inimicas, remedium. Non eo diu caruit Academia  
 nostra. Simulatque erecta fuerat, ejus accita famâ res  
 Typographica, Dominam suam observans fidelis pe-  
 dissequa, Basileam commigravit: suæ tamen & ipsa  
 memor dignitatis, ministram suam præmisit, Char-  
 tariam Artem: quam *Antonius & Michael Galliciones,*  
 Hispani, ex eâ Hispaniæ parte, unde cognomen forti-  
 ti fuere, oriundi, primo post apertas literarum valvas

decennio vix exacto, Basileæ primùm exercuerunt, Anno Lxx. Secuta Typographica, quæ per *Bernardum Ribelium* Anno Lxxv. Basileæ octepta, eodemque adhuc seculo à plurimis, *Martino Flachen*, cive Basiliensi, *Michaële Wensler*, *Joh. de Besikein*, *Nicolao Kesler*, *Joh. Bergmann de Olpe*, *Jacobo de Pfortzen*, & *Joanne cum primis Amerbachio* exculpta fuit: qui postremus quatuor Ecclesiæ Latinæ Doctores castigatè politeq; , ut tunc ferebant tempora, excudendo, inter primos hujus artis Principes meruit numerari. Sic nobis quoq; assertum munus, divinum prorsùs & incomparabile, hoc mundi senescentis, ætateq; jam effœti ac fatiscentis seculo, cum genere nostro communicatum, ut imbecillitas & ignavia hominum, torpescentium fatali languore, sublevaretur, & sacrarum pariter ac profanarum studia literarum, in lucem prolatis melioris seculi monumentis, quæq; oblivione propè deleta fuerat, excellentium ingeniorum simulachris, cum Verbi Divini tabulis, restituerentur.

Auctam excusoriâ arte Academiam ornant literarum & pietatis Instauratores. *Joh. Geilerus*, ortu Scaphusianus, familiâ & educatione Cæsaremontanus, Vir, B. Rhenani judicio, *Pericle eloquentior*, *Socrate continentior*, *Numâq; religiosior*, in Academiâ nostrâ ab Anno Lxxi. Philosophorum Collega, Anno Lxxv. Doctoris Theologi insignitur axiomate: in florentissimâ post Argentorato dimicare pro veritate, mores arguere, prius non destitit, quàm Ecclesia, Bucero & Hedione adjutoribus, veritatis ex præscripto constitueretur.

*Wesselus Gansfortius Frisus*, quem Græcarum literarum

rum amor ipsam in Græciam protrusit; reducem docendi dexteritas, trium Facultatum peritia, & purioris Religionis affulgentes undiq; radii, *Mundi lucem* fecerunt, sub idem temporis Basileæ docuit.

*Sebastianus Brant* Argentiniensis, literariam militiam hic An. LXXV. ingressus, scientiarum & Jurium confecto curriculo, horumque insignibus auctus, ad seculi propè terminum Professor Academiam juvit.

*Joh. Capnio*, vulgò *Reuchlinus*, Pfortzheimensis, egregius ille trilinguis eruditionis Phoenix, Hebraicarum Instaurator primus: qui tanto earum flagravat desiderio, ut aureo hungarico singularum sibi horarum usum à Doctore Hebræo, quo Romæ utebatur, redimere non dubitarit; Græca verò Basileæ, sub *Andronico Conzoblacâ*, natione Græco, ita feliciter imbibit, ut post à Philippo Palatino Legatus Romam missus, & *Joannis Argyropoli*, Thucydidem prælegentis, auditorium ingressus, edito sui in Græcâ linguâ profectus specimine, lachrymas Professori excusserit, exclamanti: *Ipsam Græciam Doctorum exilio Alpes transvolasse*: is inquam Capnio, Academiam nostram, quæ Artium gradu Anno LXXVII. juvenem auxerat, suâ vicissim docendi dexteritate (linguas enim profitebatur) velut reciproco gratiarum fluxu, auctiorem reddidit, ac, si non ignem, fumum tamen, igni proximum, excitavit, limpidioris alimenta flammæ Discipulis præbuit.

Floruerunt sub idem temporis *Andreas Helmut*, *Joh. Cynus* Hispanus, *Joh. Stumpsius*, Juriū heic Antecessores. *Andreas Ondorp* Alcmariensis, Medicus: *Joh. Silberberg* Basiliensis, Artium, Medicinæ, & Jurium Doctor: *Fr. Ulnaldus*, *Ulricus Craffius*, &, quem in primâ statim

acie collocatum oportuit, *Thomas Wittenbachius*, Professor Theologus, Vir non in cultioribus tantum, quarum callentissimus erat, disciplinis, sed Scripturarum quoque veritate, supra consuetudinem seculi, ita versatus, ut, quâ erat, iudicii acrimoniâ, complures olfecerit, quosdam & prodiderit, quibus Orbis dementabatur, Curia Romanâ corruptelas: uno unius Christi preciosissimi sanguinis lytro animas mûdari, nec precio redimi gratiam, docuit, Papalium nundinationum pergulam sublatam voluit. Sed & Vir fuit, si Leoni Judæ, grato Discipulo, fidem habetis, *qui propter multijugam eruditionem omnibus istius seculi doctissimis hominibus miraculo, & stupori, & phœnix quaedam haberetur.*

Commodum tùm *Udaticus Zuinglius* Toggius adfuit, primus in Helvetico Religionis Vindex: qui ut talis fieret in Scholis, qualem debuit Ecclesia experiri, Basileæ, surgentis seculi aliquot annis, linguarum artiumque studiis, (publicum etiam earum testimonium, Magisterii, quod vocant, Lauream non aspèrnatus) incubuit; sed &, quæ docendo Wittenbachius iniecit Anno cIo Io v. Religionis semina, Zuinglianum pectus avidissimè hausit, ejusdemque monitu, spretis aliorum lacunis, sacrarum & Græcarum studiis literarum, se totum addixit & mancipavit.

Claudat agmen, cujus nomen vivacibus inscribi cedris meretur, *Joannes Cono Norimbergensis*, Theologus, qui ad miraculum Græcè doctus prædicatur, *M. Musuri* Cretensis, ac *Scipionis Carteromachi* Pistoriensis, Auditor, quem ex Italia hâc in patriam iter facientem, *Joh. Amerbachius*, Operum Hieronymianorum tùm adornans editione, suo sumptu retinuit, ejusque industriâ,

non in dicto tantum Opere, castigatius emittendo; sed & liberis, Brunone, Basilio & Bonifacio Amerbachiiis (tribus βήται καλλιγραφίαι, ut Erasmo dicebantur) quibus se Beatus adjunxit Rhenanus, Græcas literas docendis, usus est felicissimè. Mortuum An. cIo Io XIII. & apud Dominicanos, quorum secutus fuerat institutum, loculo illatum, monumento elogioq; cum primis eleganti, quo paries etiamnum conspicitur ornatus, pietatis ergò idem Rhenanus cohonestavit.

Felix augurium! felices prodromi majorum progressuum! Invaserat Basileam tantus stupor, ut, Æneâ teste, non ullius boni Authoris nomen ei fuerit vel fando auditum; quid Basileam dico? Orbem terrarum invaserat crudelis barbariei tyrannis, corruperat artes omniaque latifundia Philosophiæ, Græcorum Hebræorumq; sanctissima idiomata cõspurcârât, Divinum veritatis archetypum, plusquàm Eleusina ulla sacra, Hetruscorumve disciplinam, ipsis Scholarum primiceriis, Ecclesiarum Præfulibus, fecerat inaccessum: & quod fidè ipsam excedit, Linguarum studia, tanquam propudia quædam, barbaro impetu undiq; eliminarat, ut Presbyter ille, in paginas aliquot Græco sermone scriptas cum incidisset, quòd literas, variis flexibus circumductas, magicos esse crederet characteres atq; præstigias, ad focum properans, quicquid erat paginarum, infelicibus ustularet flammis. *Audi vi, scribit Conradus Heresbachius JC<sup>us</sup>. Monachum declamãtem in Ecclesia, qui, nova, inquebat, jam reperta est Lingua, que vocatur Græca. Ab hac sedulo cavendum. Hæc est, que parit omnes istas hereses. Eâ linguâ proditus liber, in manibus passim habetur, & vocatur Novum Testamentum.*

Plenus

Plenus hic liber rubetis & viperis. Subjicit: Aliam jam ori-  
 ri Linguam, quam vocant Hebraam. Hanc qui discunt, effi-  
 ciuntur Judæi. Proh verò scelus, & infrunitam blate-  
 rantis Monachi frontem, digni, qui in Insulam, lym-  
 phaticis destinatam, ocyùs relegetur, plenisque cadis  
 imbibat

— purgantes pectora succos,  
 quicquid & in tota nascitur Anticyra.

Felix itaque, ingeminamus, Basileæ augurium! felices  
 prodromi majorum progressuum! Sicut enim Apo-  
 stolis linguæ per Spiritum datæ dissectæ, cum primam  
 Evangelii tubam, quæ ad dissitas quoque gentes differ-  
 retur, inflare deberent: Ita, quos diximus, melioris  
 seculi heroas, cum diu, & nimitum eheu! diu Orbis elin-  
 guis fuisset, linguarum donis Spiritus idem instruxit,  
 scientiarum artiumque notitiâ locupletavit: absque  
 quo fuisset, nondum quievissent Babylonis novæ ar-  
 chitecti, nonnisi linguarum varietate dissipandi: non-  
 dum illa, cœlo caput efferens, Romanæ superstitionis  
 acropolis nutasset.

Ut dissipati illi fuerint, ut ista nutarit: ut Basilea,  
 jam subactior nempe humus, semina Religionis gre-  
 mio suo exceperit, foverit, ad maturitatem perduxerit:  
 quàm lætos & huberes demessuerit fructus; alter,  
 qui sequitur, Annorum Quinquagenarius, à x. usque ad  
 lxx. seculi superioris protensus, renuntiabit. Eo ni-  
 mirum intervallo Romanensium character Basileæ  
 deletus, superstitio profligata, tyrannidis jugum con-  
 fractum, suus Ecclesiæ nitor & salus, sua Reipub. ju-  
 ra, Scholis suum decus, faciente Deo, restituta fuere.

Heroas

Heroas hujus seculi paucis indigitare, Aëta præcipua elatebrare juvabit.

Principium gloriæ debetur iterum rei Typographicæ, quæ id temporis summum visa est conscendisse fastigium: quando *Joannes Frobenius* Hammelburgensis Francus, ab Amerbachio primum ex patriâ accitus, subinde officinam ejus ab emerito nactus, rem literariam præclare juvit *arte, manu, curis, ære, favore, fide*. Hujus enim fidei & industriæ Patrum Sanctissimorum Scripta, immortalitatis illata fano, magnificè simul & emaculatissimè excusa debemus. Hujus exempla plerorumq; exemplaribus præferunt, quicumque oculos eruditos, & Typographo dignos, habent. *Aldum* feliciter æmulatus, quantum ille literis profanis, tantum iste divinis, cõtulit; uno, infelicior Aldo, quòd non tantum sibi auri, quantum nominis, Vir utroque dignissimus, peperit. Felicior eo, quòd baculum suum erectum semper gerens, nec aliò, quàm in literarum decus & gloriam intentus, nec à columbina recedens simplicitate, serpentum prudentiam (hæc enim Viri insignia erant) publici magis quàm proprii, commodis impendit. Ejus mortem ut æquiùs bonæ literæ ferrent, digna tanto Patre *Hieronymi* Filii, primi, quem Basilea, foedere Helvetiis juncta, edidit, Helvetii; & *Nicolai Episcopi* Sebusiani, Generi, successio fecit.

Frobeniana domus, quæ, non secùs atque Lucullanâ quondam Græcis, publicum quoddam doctis Prytaneum fuit, arcano Charitum suarum illicio, allexit magnum illum literarum omnisq; Philosophiæ Pana, *Desiderium Erasmus Roterodamum*, cujus inexhaustæ ingenii ubertati assurgit quicquid vel tantillum cum

Musis Gratiisq; colit commercium. Hic Frobeniano  
 adscriptus lari, veterum monumenta Sophorum, Ec-  
 clesiasticorum præsertim, à situ vindicavit, barbariem  
 seculi suffocavit, eruditioni velificari orbem docuit,  
 entheo suo spiritu omnes afflavit. Hic dignitatum,  
 munerum, divitiarum, & quicquid mundo præcla-  
 rum, adeò contumax fuit contemptor, ut ne quidem  
 galerum purpureum, à Paulo III. sibi oblatum, vel  
 minimâ ocii literarii imminutione ac libertatis, sibi  
 redimendum putarit. *Erasmus & Budæus, (Cuthberti Ton-*  
*stalli judicium refero) duo lumina mundi, plus ad veterem*  
*eloquentiam, multis antiquatam seculis, revocandam; plus*  
*ad instaurandas humaniores literas (absit invidia verbo)*  
*contulerunt, quàm omnes Perotti, Laurentii, addo etiam*  
*Hermolai, Politiani, cateriq; omnes, qui ante eos fuerunt. Hi*  
*enim, ut ocium oblectarent suum, quò quemq; vocabat inge-*  
*niium, eò tendentes, jucunda quadam & ipsa varietate le-*  
*ctorem morantia congesserunt, velut ex amœnissimo quo-*  
*piam prato selectissimos carpentes foscucos: Illi verò Hercu-*  
*leo quodam & indefesso labore densissimas barbarorum acies,*  
*Xerxis copiis majores, magno uterq; animo adorti, fuderunt,*  
*ac jam penè profugarunt: è templis alter, qui sacra omnia*  
*profanaverant; alter ex foro, qui judicia omnia pessunda-*  
*bant. Felicem te ter & ampliùs, Basilea, quæ tantum*  
*barbarie ἀλεξίμαχον & averruncum, lucidissimum Sa-*  
*pientiæ sidus, & orbis Europæi incomparabile decus,*  
*plagæ tuæ affixum, laribus obnoxium, per aliquot an-*  
*norum spacium aluisti, fatis concedentem vidisti, ossa*  
*demortui sub marmore Rætico piè custodis!*  
 Quando verò Erasmus, literas instaurando, aliis po-  
 tiùs, quàm sibi, Religionis arcem ædificavit, ipse su-  
 persti-

perftitiones ridendo carpere contentus , veritatem apertè fatis non profeflus ; five quòd animus , tranquillioris vitæ fupra modum appetens, Religionem, quæ fignum contradictionis effer, recipere non fuftineret : five quòd fele, cujufpam aliquando communi confenfu conftituendæ in Religione concordia, fpe pafceret : five quòd vitæ fuæ cymbulam incertis periculorum fluctibus, homo peregrinus, & Orbis potiùs, quàm Urbis ullius civis, committere formidaret : five denique quòd fuum quoddam, ut in plerifque, ita in Religionis etiam negotio, judicium fequeretur ; aliis præterea Luminibus Bafileæ opus fuit, quorum radiis fordida fuperftitionum nubes ab Ecclefiæ Scholæque cælo difpellerentur.

Dum ergò literis facem accendit Erasmus, & *Henr. Loriti Glareanus* Poëtis Historicisque illuſtrandis Professione publicâ occupatur : dum rem Medicam, Erasmo teſte, *unica nobilium Medicorum gloria, Copus*, nomine *Gulielmus*, ortu Baſilienſis, illuſtrat, qui poſt, quâ erat præſigni medendi felicitate, Franciſci I. Galliarum Regis valetudinis arbiter, homo peregrinus conſtitui meruit : Dum *Theophrastus ab Hohenheim Paracelſus* Medicinam Baſileæ vernaculè profitetur, Vir, præſtantiffimi Medici judicio, *ingenio magnus, & ſi literæ acceſſent, in ſuo genere maximus* : cui tamen alii, ſectam averſati, vix inter lixas, ciniflones, & carbonarios locum concedant : Dum Jurisprudentiæ famam *Cl. Cantiuuncula* Metenſis, Academia Anno ſeculi XIX. Rector, extollit, qui ab Inclyto Magiſtratu in controverſiæ Euchariſtica primo difficilimoque agone conſuli meruit : Dum *Bonifacius Amerbachius* Baſilienſis,

LL. Doctor Avenionensis, ille non Basileæ tantùm, sed universæ propè Germaniæ, Legum Romm. sapientiâ velut alter Apollo, jus civile interpretatur, & *fumum patrie benè adamate*, ut ipse loquitur, *spretis haud tenuibus premiis & conditionibus alibi propositis, alieno igni luculentiorem aurâ æque credit*: Dum *Wolfgangus Fabricius Capito* Hagenoensis, Rector & ipse An. xvii. pro rostris tam Academicis, quàm Ecclesiasticis superstitionis caliginem incipit discutere: en hujus operâ inexpectatum prorsus & lucidissimum Basiliensibus exoritur Sidus: *Joh. Oecolampadius*, Winspergensis Cheruscus, mitissimo Vir ingenio, sed doctrinæ veritate invictus, moribus sanctus, quiq; Christum, Christo plenus, non virtute minùs expressit, quàm voce prædicavit; ex mediâ hostium catervâ emerfit. Quâ in causâ de Academiâ & Ecclesiâ Basiliensium præclare cum primis meruit *Christophorus ab Utenheim* Episcopus: quando Oecolampadium, pietatis & eruditionis trilinguis nomine, à Capitone sibi commendatum, protinus vocavit, dignissimus juxtâ doctissimusq; Præsul, hâc ipsâ in Academiâ Artium & Canonum Doctor solenniter renunciatus: cæterùm à Dei Regno haud procul remotus, quando Symbolum, quod in Parthenone ad Lapidem monumento reliquit, *Spes mea crux Christi: gratiam, non opera, quero*; sanctiores Religionis igniculos prodidit.

Sic ergò serena Dei lampas fulgere jussa in hâc Dei domo, ab Anno cIo Io xv. Fulgere ut posset, Docturæ insignibus condecorata, in Theatrum sublimius evecta fuit. Nempe Capnionis

*Sic fumum sequitur splendenti lumine flamma:  
Ut niteant facibus Templà novata novis.*

Nec subduci hæ faces Basileæ nostræ potuerunt, licet lustro ampliùs ei interverterentur. Revertitur Oecolampadius ex literarum ocio, cujus amor Monasterio Altonis, ab Augustâ tertium distanti lapidem, sanctam animam aliquantisper asseruerat. Revertitur, inquam, cum jam signis collatis publicè dimicandum esset: gratum subit, apud A. Cratandrum Typographum, hospitium, Anno **xxii**. Mox faceffere iussis, & à publico remotis stipendio, **qui tùm** Academiae Theologi dicebantur, in Professione Oecolampadius cum Pellicano, quem Franciscanorum cloaca priùs absorpserat, subrogatur: Jesajam interpretatur. Tum & Ecclesiæ Pastor constitutus, & Antonio Zanckero, Ecclesiasti Martiniano, homini valetudinario, Vicarius primùm, mox Successor datus, Ecclesiasticum munus Academico junxit: & Parastatis adjutus piis atque cordatis, Wolf. Wissenburgio, Marco Bersio, Joh. Luthardo, Thoma Geirfalckio, opus Domini promovit magnis passibus, incredibili successu: nec cum hominibus tantùm, sed, Ramo teste, cum Religionis monstris dimicavit, vigilavit, in acie Domini constitit dies noctesq; bella Domini belligeravit, non linguâ tantùm & manu, sed sanctis cum primis, & incorruptis moribus cum hoste conflixit: moderatissimè tamen conflixit, summaq; cum equanimitate. Etenim si in ceteris, quamvis excellentibus, Theologis, astus tamen aliquis ardorq; vehementius nescio quid interdum excitavit, quod & ipsis postea sedatioribus factis displiceret; Oecolampadii constantia, & sua sibi similis equabilitas, immutabilis perpetuò permansit.

Illuxit intereà felicissimus ille Annus **XXIX**: An-  
 nus, quo Deus proclamari per Unctos suos voluit, ca-  
 ptivis libertatem, & vinctis aperturam ergastuli: An-  
 nus acceptus Jehovah, dies ultionis Dei nostri, & judi-  
 cii adversus idola. Aperuit oculos Basilea, & rena-  
 scentis semina Evangelij, avidè jam dudum hausta, ad  
 maturitatem perduxit. Templum Domini, non sine  
 motu, sine tamen cruento, magnanimè repurgavit.  
 Februarius mensis erat, quo sacra hæc Februa cele-  
 brata, & nequicquam fremente Satanâ, frustra tumul-  
 tuante Curiâ Romanâ, diraque anathematum fulmi-  
 na, strages & lanienas, furenter minitante; vis Verita-  
 tis major, Dei causa, vicit. A plebe non amplius vel  
 superstitionum, vel sui patiente, in idola publicè sævi-  
 tum, imagines decussæ, tota suppellex idololatrica  
 confracta, & vituli instar Ægyptiaci in cineres, ipso ci-  
 nerum die, redacta. Tum veritatis Evangelicæ pro-  
 fessio solenni edicto sancita, Missæ sacrificium urbe &  
 agro antiquatum, cucullæ & cilicia Monachis exuta,  
 alimenta tamen quietem pollicentibus in Cænobiis,  
 ducere volentibus sub lare familiari, assignata; sinceri  
 Evangelij præcones coetibus ubiq; dati, Reformatio-  
 nis statuta in lucem edita, nihilque intermissum eo-  
 rum, quæ à veris *Libertatis Ecclesie Defensoribus*, quo ti-  
 tulo Helvetii non ita pridem à Julio II. P. solenni di-  
 plomate decorati fuerant, occupari mererentur.

Quid interim Academia, superstitioni plantandæ,  
 fovendæ, propagandæ hucusque destinata? Ventila-  
 brum erat Reformatio, quo hæc Domini Area per-  
 purgata, &, levi hinc volitante paleâ, triticum mansit.  
 Manserunt seculi melioris instrumenta: *Oecolampadi-  
 dius*

*dinus & Pellicanus, Theologi; Amerbachius J.C. Ofwaldus Berus, Medicus, alii. Cœteri quidam querelis & planctu, & lamentis omnia implere, faciem sibi pullo obducere velo, humeros apio vestire, brachia rhamno obumbrare; quòd tabidâ quâdam peste animæ depaſcerentur, ipsius Christianismi everterentur ritus, Resp. Christiana summum pateretur naufragium, & jure illud Sacri Dominici Corporis Sacrificium è medio tolleretur; in ipſo Academia leucomate acerbè querulari: sed & cum Canonicis & Optimatibus nonnullis, superstitioni obnoxiiis, lucifugis blattis & tenebrarum alumnis, ob lumen affulgens, Urbe excedere.*

Non fuit, Auditores, infelix Academiae fatum. Cadere necesse est, quæ cum gloriâ resurgere debent: nec reflorescunt, nisi, quæ priùs, Sole multo tostæ, exaruerè stirpes: nec quicquam è terrâ succrescit, nisi cujus semen illa suo in sinu mollierit putrefactum. Cecidit Academia, non periit: Deserta jacuit, non neglecta: colorem non sanguinem perdidit: Exulavit sceptrum, non intercidit. Providus enim Magistratus Kalendas Junii Anno 1610 xxix. Rectore *Ofvaldo Bero*, totum Academiae Archivum, suæ adscriptum tutelæ, ab improbæ violatione manûs vindicavit, constitutâ legitimè Ecclesiâ, Req; publicâ pacatâ, illud resignaturus. Capto interea consilio maturiori, quale cum primis sancta Oecolampadii anima, paulò priùs, quàm ad Superos migraret, & Amerbachius expediturè, Palladium Academicum triennio exacto instauravit.

Dies XII. VIIbris Anni xxxii. luctum omnem à Musarum facie absterſit: quando, Consule *Jacobo Meyero*,

*Meyero, Viro, rebus magnis difficili tempore felicissime gestis, Inclyto, quiq̃ue, Ramo teste, Oecolampadio clypeus & hasta fuit in afferendâ Evangelii libertate; sua Academiae jura, Archivum suum, suus nitor & decus, restituta fuere, & Professoribus Reformationem professis commendata. Designati Triumviri, Scholarchæ, Rodolphus Frey, Fridolinus Ryff, Henricus Ryhiner Archigrammateus, Viri Patricii, Academiae Patroni. Stipendia Professoribus de novo constituta: ac sicut boni Medici est, ex venenis medicamenta parare: sic ex illis opibus Ecclesiasticis, quæ, jam inde à Constantino, fuerant venenum effusum in Ecclesiam, huic pietatis & sapientiæ domui portio dicata: eoq̃; Baalis succisus lucus, ut ejus ligna altari Jehovæ imponerentur: spoliata Ægyptus, ut ejus vasa Tabernaculo construendo inservirent. Novum Musis fugitivis, idq̃ue geminum, statutum receptaculum, veteriq̃ue additum: Augustinianorum Cœnobium, inter prima idolis purgatum, beneficiariorum contubernio cessit. Dominicanorum domus, bonæ indolis civium filii, in patriæ ornamentum educandis consecrata, inq̃; Sapientiæ Collegium versa: quam tamen *piam liberalitatem*, Urstifii verba recito, *annis aliquot post, quorundam improbitas violavit intervertitq̃.* Magistratus Academicus, qui semestralis quondam & Democraticus fuerat, annuus & Aristocraticus esse cepit, nonnisi Senatûs delectu, atque ex membris illius creandus: qui trium generum Conciliis, Senatorum, Decurionum, Judicum, res omnes determinaret. *Osvwaldus Berus*, Jani cujusdam bifrontis ad instar, uti veterem Academiam, errorum inundatione vastatam, Rector illius ultimus, clausit:*

ita

ita nunc per *πυλιν* *sevectiar* repurgatæ fores referat, clavi moderamen primus ipse contingit.

Professiones subivére, surgentis partim, partim vulgaræ per orbé famæ Viri. Theologiam, ejusq; Vetus & Novum Instrumentum, in suâ utrumq; linguâ; illud *Paulus Constaninus Phrygio* Seletstadiensis, hoc *Oswaldus Myconius* Lucernas, pari dexteritate, pari uterque fide interpretabantur. Leges, omni Juri edifferendo persatis, unus *Amerbachius*; Medicinam *Berus*, Medici Senatûs totos quinquaginta & quinq; annos benè meritus Assessor, profitebantur. Linguam sanctam *Sebastianus Munsterus*, ex Franciscano Christianus, docuit, qui ingenio suo & diligentia incredibili eò pervasit, ut, quod nemo adhuc Rabbiorum unquam tentarat, Grammaticam Chaldaicam primus concinnarit: Bibliis insuper ex fonte conversis, & Opere illo laborioso, quo duce peregrinari terrarum orbem, domi etiam manendo, licet, inclaruit: *Basiliensiam Esdras* & *Strabo* cognominari meruit. *Simon Gryneus* Veringensis Græcas literas illustravit: cæterùm exactâ sacræ profanæq; Philosophiæ cognitione nemini secundus, hujus post ordinarius; illius extraordinarius Professor, ad constituendâ Tubingensium Ecclesiam Scholamq; Ulrici Principis desiderio Anno *xxxiv.* indultus: ad Colloquium Wormatiense inter Principes Theologorum, Princeps & ipse ablegatus, tandem, vigente adhuc ætate, An. *xli.* Academiae Rector decessit, & incredibile toti Germaniæ sui desiderium reliquit. Linguam Latinam *Albanus Torinus* Vitoduranus, post Medicus, & trium simul Germaniæ Principū à Medicina familiaris; Mathesin *Wolfgangus Wissen-*

*burgius*, fortissimus Evangelii præco, primus à Reformatione Theologiæ Doctor, à Caroloftadio renunciatus, v. Kall. Maij, cIo Io XL. quòd ejus fecunditas ingenii in Mathematicum quoque fines latiffimè redundaret; *Simon* denique *Sulcerus* Dialecticam conatu pari, pari successu profitebantur.

His non umbraticis Doctoribus, sed, qui cum summis contendere possint, nõ in pristinum tantum Academia decus assurgere, sed caput supra seipsam, immensum quantum cepit efferre, & ex suis cladibus, ut Phoenix ex nido suo ferali, nitidior longè resurrexit. Crevit discientium cœtus: crevit docentium: Linguarum Artiumq; notitia crevit: puritas verò sanctissimæ Religionis in tantum enituit, ut domum, nuper lateritiam, marmoream nunc bonus quisque miraretur, deq; hostibus generosè triumpharet:

*Non sanctæ fidei, ut mentiris improbe, quicquam*

*Cessit, non capta hoc tempore Relligio est:*

*Sed larva, Osvaldo detracta est Præsides, Papa,*

*Ac meritis Christi laus revocata sua est.*

Epinicii materiam continuarunt, qui decedentium excepere vices. Theologorũ, præter Wissenburgium, *Caroloftadius* & *Borrhaus* exceperunt: quorum *iste*, Oecolampadii operã, ex Anabaptista Orthodoxus, ex Cellario Borrhaus factus, voce juxta & Scriptis, quoad vixit, rem Theologicam juvit & auxit. *Ille* infelicis controversiæ turbine jactatus, hîc tandem in Ecclesia Petrinã & Academia, decennio continuo sacras literas explanavit. Hostis Academicorum Graduum inter alia audit, qui inde à suã è Witebergensi Academia secessione, Doctoris titulum nullo discrimine damnavit.

rit. Abusum damnaſſe, boni omnes credunt: Uſum  
ipſum ſublato voluiſſe, ut omnes crederent, Baſi-  
lienſis Academiae non crederet Senatus, qui Carolo-  
ſtadium, eo ipſo nomine, cum Simone Grynæo (qui,  
utur Theologiam docendi provinciam ſubierat, Do-  
ctoris tamen capeſſere titulum conſtanter recuſabat)  
acri ſatis certamine & conſiſſe novit & perviſſe,  
Anno XXXVIII.

Non vacat, Auditores, in ritûs iſtius Academici ex-  
currere vel examen, vel commendationem. Docto-  
res, monetæ ſimiles Alexandrinæ, extûs quidem pul-  
chræ, parùm verò probæ intûs, nemo probarit. Do-  
ctores autem vocari, qui ſunt, quibusque docere ſeu  
virtus permittit, ſeu Vocatio præcipit, illisq; cum mu-  
nere titulum ritu ſoleſſi conferri, quantilli quæſo  
peccati, vel ſeveriſſimi ſententiâ Catonis, damnetur?  
An ſi dona in Servis ſuis Chriſtus O. M. diſcrevit, no-  
bis illa convenientibus diſcernere nominibus piaculo-  
erit? An parietem iſtum intergerinum, ſtudioſos in-  
ter & ignavos, milites veteranos, qui ſtipendia multa  
fecerunt, & tyrones, par eſt è medio tolli, & honeſtiſ-  
mæ ſtimulum gloriæ juventuti interverti? Nunquid  
non renunciationes iſtæ teſſera quædam piis Doctori-  
bus, Scholis verò, Sacris præfertim, vallum quoddam  
undiq; illis circumjectum, exiſtunt, quo heterodoxi,  
prurienti cum primis ſeculo hocce, arcentur, inceſta-  
re Cathedram ſanctam legitime prohibentur? Quam  
ob rem ſanctiſſimus Dyrdrechtanorum Patrum Con-  
ventus, nemini, niſi Facultatis inſignibus donato, pu-  
blicum in eâ docendi munus committendum, ſapient-  
tiſſimè, ut omnia, ſcivit.

Philosophorum hoc tempore *Calius S. Curio* Taurin-  
 alpinus gloria magna fuit, qui cū varios ob Christi te-  
 stimonium sibi intentos equuleos, mortes & flammās,  
 præsentissimi Numinis ope, evasisset, turum heic in  
 Artium Schola (quæ insolito ei honore gradūs sui in-  
 signia sedenti contulit) portum invenit, ibidem locu-  
 pletem Latinæ linguæ supellectilem, unum in Forum  
 comportatam, Eloquentiæ Professor venalem expo-  
 suit, suæque adeò eruditionis famâ, non magnam tan-  
 tum Nobilium catervam, sed illustres quoq; Sapien-  
 tiæ amafios, Basileam pertraxit. Pertraxisset & di-  
 gnus tanto Patre Filius, *Augustinus Curio*, Academia  
 Rhetor facundissimus, si longiora ipsi vitæ spacia Fa-  
 ta indulgissent. Sed is, *Theod. Zuinger*o iudice, *in ipso*  
*ætatis flore morte vincit, quam Patrem vincere maluit.*

Collega fuit, qui citharâ Delphinas traxit Arion,  
 operosus ille *Jo. Oporinus*, Medicinæ primùm Alumnus,  
 tum Græcarum literarum Doctor publicus, qui ne Gra-  
 dūs insignibus & ipse cogere tur inaugurari, ad rem  
 Typographicam animum applicuit, Officinam è Cra-  
 tandri ruinis extruxit, eiq; fatali quodâ ubertatis & co-  
 piæ literariæ præfagio, ita vacavit, ut operarum, quas  
 supra facultatum rationē liberaliter fovit, ultra quin-  
 quaginta non rarò sustentarit, Auctorum recentioris  
 plerorumq; seculi, integra millia seculo dederit: tem-  
 poris adeò religiosus dispensator, ut, quandiu secum  
 agi vellet, Musæi foribus, Aldi exemplo, præfigeret.

*Sebastianus Castellio* Sabaudus non planè indignus  
 est his accenseri, quòd excellenti linguarum cogni-  
 tione vitæque innocentia, quam duodeviginti an-  
 norum Professione comprobavit, magnorum Nomi-  
 num,

num, Melanchthonis, Zuingeri, Rami, Urstifii, Carleili, Humfredi, elogia meruerit. Nec à Felice Turpione Urbevetano, infelici turpique veritatis proditore, hoc est, Fausto Socino Senensi, laudari meruisset, nisi periculosis quibusdam opinionibus locū dare, quàm in solo Professionis Græcæ argumento versari maluisset.

*Thomas Platerus* Sedunus, etsi puerilis duntaxat umbraculi ludo operatus, meritis tamen & admirandis factorum, quæ expertus est, characteribus, nihil admodum Superioribus concesserit. Is celeberrimas Germaniæ Scholas, victum emendicans, adolescens Iustravit. Ubi jam emerfisse aliquatenus videbatur, dignusque Sacerdotio haberi, subsecuta Religionis emaculatio in difficiliōres ipsum coniecit symplegadas: sic ut, more inter doctos tūm non insolenti, cum alii mechanicas alias, noster Borrhaus fenestriariam, Musculus textoriam addiscerent; restioni ipse, ut victum facilius toleraret, operam suam addixerit: in eadem officinā ejusdē fati collegam sortitus *P. Collinum* Tigurinum, Græcarum peritissimum: cum quo manuarum ita tractavit, ut funem alterā manu torquens, alterā Hebræarum Scripturæ codicem, aut Homerum, remoto custode tractaret; sed & diurnam mercedem omnem in nocturna absumeret studia, aquā frigidissimā sapere, interdum & arenā ori inditā, pro vigiliis, mirabili conatu, felici successu, depugneret. Quin & restionis adhuc habitu personatus, cum per Oporinum nonnihil innotuisset *invitus*, Hebræas literas in Cœnobio Leonhardino, frequēti auditorio, ipsius Regiæ Navarræ illustri Legato audiente, interpretabatur. Tandem cum, suā literis dignitate resti-

tutâ, benignior illi affulisset fortuna, relicto exercitio fordido, ad Musarum castra magno cum fructu reversus, Ludum Marianum gubernavit.

Sed diurnâ me prius lucis destituat usura, quam materies, si, quæcunque tùm Basilea habuit literarum decora, amplius commendare velim. Suos insuper Philosophi *Artolphos, Buschios, Ardisæos, Hugobaldos, Hospinianos, Lepusculos, Aerimontanos, Grynæos, Nysæos, Coccios, Bechios, Acronios, Fueglinos*: suos Medici *Holzachios, Brunfelsios, Sinckeler, Gemusæos, Huberos, Pantaleones, Huggelios*: suos Jure Consulti, *Sichardos, Pieræos, Brierferos, Sphyractes, Zassios, Iselios*, alios admirabantur.

Nec nativâ tantû luce illustris Academia fuit: commodatâ quoq; singulæ Facultates coruscarunt. Theologorum hâc ætate hospes *Joh. Calvinus* fuit, sublime candidumque fidus, quod non Genevæ tantum, sed Christianæ per Orbem Ecclesiæ speratam post tenebras seu attulit, seu locupletavit lucem. Micuit illud Basileæ, Anno cIo Io xxxvi. & splendore magno in exiguâ casâ prope lucum Petrinum micuit, ubi hospitâ *Catharinâ Petitâ*, lectissimâ matronâ, illustres Christianæ Religionis vigilias exaravit. Jurisconsulti, *Francisco Hotomanno*, eminenti Juris Sacerdote, qui patriâ ob civilia bella spontè relicta, in Germaniam, ceu patriam alteram, concesserat, hospite superbiebant, ex hospite cive facto, qui Senatui, ut non docendo, consulendo tamē, insigniaq; aliis tribuendo, multipliciter commodavit. Medici *Vesalio*, magnâ Patavii gloriâ, seculi miraculo triumphabant, qui osseum illud cadaver virile (liceat ita vocare totâ istam ossium compagem,

pagem, quam Græci *Scleton* dixere,) quod cum aliis nonnullis Promotionum Aula spectandum proponit, Artis suæ specimen, munus hospitale, Academiae reliquit, Anno XLII.

Extra lineas abrepta est Oratio. In deliciis errat, passibus incertis. Ad terminos revocanda est. Duo supersunt Quinquagenarii, de quorum momentis carptim tantum & saltuatim præcipua delibasse, & stillidium veluti de situlâ sufficiet sustulisse.

Olim qui de cælo servabant, auspiciis non antè, quàm secunda primis respondissent, fidem habuere. Salva nostræ Academiae res est, quando non secunda tantum primis, sed & tertia secundis assatim responderunt. Triste quidem hujus Quinquagenarii initium erat, quando primo ejus decennio tum casibus aliis, tum pestilentia cum primis atroci, quæ Anno L XIV. septem hominum millia Basileæ sustulisse dicitur, tantus clarorum Virorum numerus occubuit, qui Academiae non uni, sed oppidò multis sufficere potuisset. Resarta tamen sensim & hæc damna fuere, succedentibus in aciem Viris, nō prorsus militiae indecoris, nec *parmâ ingloriis albâ*. Theologorum aciem *Sulcerus* & *Coccius* instaurarunt: instauratæ gloriam *Job. Jac. Gryneus*, ille non minùs malorum tolerantia, odii malignantium publica victima, quàm splendore meritorum insignis Theologus; *Brandmyllerus* denique & *Polanus* suâ virtute longè lateque extenderunt. Hospitem indè à Quinquagenarii principio habuere tenuis quidem fortunæ hominem, alumnum Inclyti Magistratus; sed ob S. Codicis Versionem Hispanicam, continuo impigroque decennii integri adornatam labore,

*Pestis Basilea  
grafak.*

bore, publicâq; authoritate à *Thoma Guarino* typis descriptam, bonis omnibus commendatissimum, *Cassiodorum Reinium* Hispalensem. Jure Consultorum (quibus *Martinum Huberum*, *Marcum Hopperum*, Rectorem, & *Huldricum Iselium*, Professorum trigam, dira pestilentia fata unum intra quadrimestre demessuerant) Ordinem, Ordinisq; decus *Basilius Amerbachius*, *Adamus Henrico-petrens*, *Caspar Hervagius*, *Samuel Gryneus*, *Hippolytus à Collibus*, *Joh. Gutus*, *Ludov. Iselius* vindicarunt. Medicorum res *Joh. Bauhinus*, *Theodorus Zuingerus*, *Felix Platerus*, *Gulielm. Gratarolus*, *Johan. Nicol. Stupanus*, *Joh. Osvaldus Schreckenfuchsius*, *Nic. Taurellus*, *Thomas Erastus*, *Philip. Scherbius*, *Casparus Bauhinus*, *Thomas Coccius*, *Petrus Ryffius* asseruerunt: Viri, de quibus, ut *Sallustio* de Carthagine visum, silere, quàm pauca dicere præstat. Philosophorum laudes tertiarunt, *Christianus Allasiderus*, vel *Urstisus*, *Johan. Thomas Freygius*, *Mattheus Meyerus*, *Samuel Coccius*, *Theobaldus Myllerus*, *Joh. Beatus Helius*, *Henricus Justus*, *Jacobus Zuingerus*, *Vincentius Prallus*, *Jacobus Henricipetri*, & qui admirabili suâ eruditione Hebræâ Urbem & Orbem, quandiu ullum his literis præmium in terris erit, sibi obstrinxit, *Joh. Buxtorffius*.

Subit non rarò animum, ubi continuatam istam præclarissimorum Virorum, quos *Basilea* tulit, seriem contemplatur, *Plinii* secundi effatum, in eos, quibus aliena tantum admirationi, sua contemptui sunt, sic graviter investi: *Ad qua*, inquit, *noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura comparatum est, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur: seu quòd omnium rerum cupido languescit,*

*languescit, cum facilis occasio est: seu quòd differimus, tanquam sæpè visuri, quod datur videre, quoties velis. Quà-  
cumq; de causâ, permulta in urbe nostrâ, juxtaq; Urbem,  
non oculis modo, sed ne auribus quidem, novimus. Quæ si tu-  
lisset Achaja, Aegyptus, Asia, aliâve qualibet, miraculorum  
ferax commendatrixq; terra; audita, perlecta, lustrataq;  
haberemus. Hoc verò exprobrationis telum haud im-  
meritò in nos vibraretur, ubi, nostris neglectis decori-  
bus, alienorum tantùm satageremus, peregrina stu-  
peremus: quæque in Æthere nostro, Phœbes ad in-  
star, purpureo radiat vultu, Virtutem, navibus veluti  
atq; quadrigis alibi festaremur.*

Docent Medicorum filii, in foëtûs formatione,  
omnium partium tenuiora quædam fila simul produ-  
ci, non item omnia simul absolvi; verùm unum post  
alterum suam indipisci perfectionem. Non absimiles  
Corpus nostrum Academicum natales expertum est.  
Prima vitæ stamina, quoad potiores partes, solenni il-  
lâ post exactum Papatum *παλιγγενεσία* recuperavit:  
membra post varia temporis tractus sensim perfecit.  
Hoc ipso Quinquagenario, non unâ sui parte, hilarem  
ad auctum grandescibat, quando Bibliotheca con-  
structa, Aula peculiaris promotionibus dicata, Medi-  
ca Professio tertia instituta, Gymnasium instauratum  
fuit.

Non tùm primùm colligi Bibliotheca cepit: colle-  
cta dudum erat; sed superstitionis tempore, qui nunc  
humili loco repositus est sublimis thesaurus, editio-  
re, qui in isto Templo visitur adhuc, cõstitutus, humi-  
liores non nihil continebat opes. Nõ pauca Monacho-  
rum absorpserant gurgustia & captivarant. Ea, ne ne-

mini utilia sicut carieq; perirent; Academiae armariis, sub initium periodi hujus inferri curavit Inclytus Magistratus. Ita quas Augustinianorum, Carthusianorum, Franciscanorum, Dominicanorum foruli abscondiderant, delicias, una nunc Academiae luxuriat libraria. *Joannes de Ragusio* Episcopus Argensis, generalis quondam Ordinis Praedicatorum Procurator, qui, Juliani Cardinalis loco, Concilio Basiliensi exordium dedit, post, spectatae eruditionis nomine, in Cardinalium sedes asciri meruit; eleganti Codicum mss. Graecorum imprimis, suppellectili Dominicanos, sui Ordinis Conventum, locupletarat. Idem *Theaurus*, *Henrico Petri* meritissimo Scholarcha procurante, Academiae assertus, armariis ejus illatus. *Martinus* vero *Borrhaus*, Bessarionem imitatus, ne non & post fata Academiae prodesse videretur, chartaceam suam suppellectilem omnem moriens Academiae legavit. Posset heic velut in campo exultare Oratio, si recludere armaria nostra, vel eorum saltem limina pandere vobis institueremus. Saltem nemo invidet, si Bibliothecam, cujus mss. Codices millenarium longè excedunt, cum quibuscunque Germaniae librariis certare posse confidamus: Praeclarum Urbis ornamentum, Academiae Palladium, literatorum, quibus *τοῖς νεκροῖς συγχρωτίζεσθαι*, mortuis concolorem fieri, impallescere literis, summæ deliciae sunt; adjumentum maximum, supra gemmas omnes & aurum, dummodò peritum thesauriq; gnarum experiatur judicem, aestimandum, illustriumq; Virorum Scriptis cottidiè illustrandum!

Sub idem temporis Aula, quae supra Bibliothecam Rheno imminet, ampla nitidaque, Philosophorum quon-

quondam agonisterium, Candidatorum Inaugurationibus sacrabatur, & accedente, curantibus Scholaribus, ornatu convenienti, in solenne Honoris Templum convertebatur: cujus aliquantò post cathedrâ pulpitaque à spectatis rei literariæ Meccœnatibus, *Andrea Ryff* Scholarcha, & *Joh. Francisco Castillioneo*, magnifico Aulæorum munere exornata fuere & condecorata.

Ludus Marianus, defuncto Platero, & reparationem postulabat & augmentum. Utrumq; An. LXXXVIII. Consule *Bonaventurâ à Brunn*, Felice autem Platero & *Basilio Amerbachio* Operis Architectis, consequitur, & duabus ampliatus Classibus, *Joh. Beato Helio* Moderatore, Viro ad fingenda & formanda ingenia nato, elegantium ingeniorum agellos primâ semente felicius deinceps inſevit. Nondum finis.

Facultas Medica, Theorico hætenus & Practico contenta Professore, An. LXXXIX. Anatomicæ Botanicæque Professionis incrementis, insigni literarum Patrono *Ulrico Sculteto* Consule, feliciter augeſcebat: Anatomicum naçta Anatomicorum Principem, qui præſcorum æquando gloriam, recentioribus palmam facile præripuit, *Casparum Baubinum*, Joh. Filium: cujus ipsius auspiciis, quod sectionibus inſerviret, Theatrum, eò loci, qui Pædagogo prius inſervierat, extractum fuit.

Sic tertium Academia stadium decurrit. Quartum, postremum complectens, qui hodiè expiravit, Annum Quinquagenarium, nunc equidè nos non morabitur. Posset: si vel præcipua dictis conſequi, & *Beckios*, *Wöllebios*, *Zuingeros*: *Feschios*, *Insulanos*, *Hofmann. s.*

*Chmielecios, Plateros, à Brunn: Jeckelmannos, Burckhardos, Lucios, Obermeyeros, Harscheros, Plateros, Hagenbachios, alios; quorum nobis, ob præclara in nos remque literariam merita, & devota, & jucunda, & acerba tamen recordatio est; elogia verò, in gratæ memoriæ posteritatis, ipsius in Famæ Templo seu insculpta sunt monumentis, seu insculpenda; in Theatrum productos vellemus. Possit: si vel Reipub. inclutæ, quæ Deo sacrae juventutis promotura conatus, juxtaque Celeberrimum Virum, qui aliorum tum insidiis petebatur, sibi nobisque assertura, tertiæ Professionis Theologicæ, quæ Controversiis operaretur, præclaro incremento Academiam auxit, munificentiam; Vel *Sebastiani Guntzeri*, Mercatoris integerrimi, qui honestissimo legato institutum illud primus excitavit, privatam pietatem; Vel *Jac. Hagenbachii* Philosophi & Medici, meritissimi Viri, qui Academiam, Borrhai, & utinam plurium secutorum exemplo, Bibliothecæ suæ & herbariæ suppellectilis, hæredem scripsit, piam liberalitatem; Vel, qui hodiè Docentium tuentur sedes, Professorum, quorum alii pio conatu commendabiles, alii singulari doctrinæ, meritorum, famæ, auctoritatis gloriâ eminentes, lucem Athenæo nostro hætenus fœnerati fuere & fœnerantur, laudes amplius institueremus percensere. Neque enim, ut vetera sunt in laude, sic nova decet esse in fastidio: nec Virtus cum seculis expiravit, nec adeò exhausta effœtaque natura est, ut nihil jam parere laudabile possit. Nostra quoque ætas Virtutis exempla, si non pari cum aliis ambitu aut venditatione, exempla tamen habet, quæ Boni nobis congratulentur, mali invident, posteri imitentur.*

Sed

Sed nostras ebuccinare laudes nihil attinet. Parcendum est verecundiæ viventium : defunctorum autem memoria recens benè ab illis gestorum gloriam animis nostris feliciter repræsentat.

Possent nos morari Academiæ miraculosa conservatio, quâdo illa in tanta rerum omnium rutubâ (quæ cœlum Europæum quinquaginta hos, cōtinuos fermè, annos inclemētiâ suâ asperavit, Scholas & Academias dissipatione, Regna & Principatus vastitate, quassavit; provincias desolatione, civitates funerum cadaverumque acervis, Sanctuaria profanatione incestavit, nullum non flumen humano sanguine conspersit) sub pio tamen & pacato S.P.Q. Basiliensis patrocínio, sola penè in universo Germaniæ Theatro, omnium cum stupore, non inconcussa tantùm stetit & eminuit; sed lætis quoq; incrementis ad majus perfectionis culmen consurrexit. Sed augustissimum hocce divini Bonitatis, quæ se totam velut & indivisam nostros in lares effudit, argumentum; nec argumentum tantùm, sed portentum, sed prodigium, omniq; gratulatione majus cœlestis providentiæ miraculum, non vanæ præconia linguæ, sed ardentem cordis devotionem, cum piâ gratiarum professione, unicè à nobis deposcit.

Quin ergò, Ò B A S I L E A, Patria dilecta, & in eâ Tu cumprimis, Ò A C A D E M I A, præsidium & dulce decus nostrum! genua tua flectis coram eo, qui summus est, solus est Auctor, Stator, Vindex salutis tuæ: ei que seculare carmen, laudes seculares, imò immortales, ex intimo cordis penetrali, devota mactas: & agmina tua, tua sacra, tuos penates, publicam privatamq; salu-

tem tuam supplicibus votis, desiderii ardentissimis eidem committis.

ÆTERNE, TRINUNE DEUS, Nostra Salus, Luminum Pater, cujus arbitratus quicquid desideramus subest, & quicquid continet humana circulus felicitatis. Tibi, quod Tuum est, tribuimus: Academia Basiliensis & instituta, & reparata, & in hanc usq; lucem conservata ac vindicata gloriam toto animo unice transcriptum imus. Tu Procerum animos pronos in hanc curam fecisti, hancq; illis caliginoso seculo tam serenam, tam piam, tam gloriosam injecisti cogitationem, proprium melioribus literis sacrandi hospitium, hocq; pietatis templum, sapientia delubrum virtutisq; erigendi! Tu illud detestabili fœdatum catharmate ignea Verbi tui virtute repurgasti, corruptum restituiisti, tenebris demersum illustrasti, servum redemisti, perditum recuperasti, & Academiam nostram ex Romana Catholicam, ex Pontificis mancipio peculium tuum, tibi soli sacrum, tibi soli devotum, soli obnoxium esse iussisti! Tu illi jam bini decursu seculi, tuo presidio stanti, continuam pacem, ah nobile nomen! quo equidem dulcius dari nihil potuit, expeti nihil; tu literarum studia, tu Doctores idoneos, tu Magistratum benignum, tu omnia, quæ ad bene beateq; in hoc ocio vivendum requiruntur, cumulatissimè indulxisti! Tu inter decumanos Europe fluctus, infaustos cumprimis atq; infestos Belli tricennalis tumultus, hocce Palladium nostrum dextrâ tuâ servasti, nec illud vel aliorum procellis absorberi, vel propriâ, quâ gravati sumus, peccatorum saburrâ mergi; sed in portu aliorum naufragium, in dulci literarum ocio cruentos aliorum sudores eminens cominens spectare, interq; Musarum júbila, aliorum lamenta, ululatus, dissonosq; cantus, ac se nihil nos horum commeruisse, excipere voluisti! Magne  
Deus

*Deus, quàm gloriosum est Nomen tuum in terrâ nostrâ! Quid rependamus tibi pro omnibus beneficiis tuis, quæ contulisti in nos? quid rependamus in hoc virium nostrarum nativo veluti marcore & languore? Vincimur magnitudine beneficiorum, absorbemur immensitate, & ad silentium toti redigimur. Quo excelsior est, DOMINE, tua benefacientis gloria, quò profundior nostra accipientium indignitas; eò maior hinc elucet tua, humane terminos facundia longè longèq; exuberans, indulgentia & misericordia! Inferiores sumus, Jehova, cunctis misericordiis, & omni veritate, quam fecisti cum servis tuis! Quid est homo, quòd recorderis ejus, & filius hominis, quòd visites eum!*

*FAVE porro, faventissime Deus, quamdiu seculum novum durabit, fave beneficiis tuis: adde, precamur, perpetuitatem muneribus tantis. Dicant semper alexgentes: Deus istis magna fecit! Largire Professoribus, ut Spiritu tuo pleni, & gratiâ roborati tuâ, opus quisque suum alacriter persequantur, inq; laboribus suis virido gratiæ tuæ sensu identidem reficiantur. Sua semper constet inter nos Religioni puritas, suum justitiæ decus, suum eruditioni precium, sua pietati commendatio, virtuti suum premium. Tu salus & medela rerum, da nobis consentire & conspirare in commune bonum: ne permittes quæso, ulla unquam obstant animorum dividia, quò minus uno humero eandem adificemus Hierosolymam. Adspiret Gratia tuæ aura toti Studioforum agmini, ut piè, justè, temperanter viventes, ea hinc condiscant, altoq; reponant animo, quæ postmodum in Ecclesia tuæ, reiç, publicæ usum feliciter depromant. Indue Amplissimum Magistratum, Evergetem nostrum, Spiritu sapientiæ, consilii, roboris, fortitudinis, & timoris tui: tuo illum umbone tege, tuam in illum effunde largam benedictionem.*

*nem. Tuere Ecclesiam nostram: ne despice vineam, quam dextera tua plantavit, ne silvester aper sepem ejus diffringat & vastet, neu vulpes eam corrumpat. Tu Custos Israël is excuba pro nobis, omnem consiliorum nobis insidantium dissolve contextum, machinationes perde: Consultent consilium, & dissipetur, loquantur verbum & non existat. Stent perrennentq; Ordines nostri immoti adversus omnes insultus Orbis & Orci, inq; novo Academia Seculo, postremo aut secururis aliis, tantisper decurrant, donec Filius tuus gloriosus JESUS CHRISTUS revertatur, secula consummaturus, nosq; omnes in montem illum translaturus sanctitatis tue, ubi, a servitutis soluti nexu, verum tãdem illum perfectumq; Jubilæum, Annum beneplaciti tui, cujus dies non finientur, cujus lumen caligine nullã intercipientur, in beatissimo Tui conspectu & Angelorum consortio, leti & orantes feriabimur, celebrabimus: Amen.*

DEI nomine collaudato, suspiciendus nobis est Dei in his terris Vicarius, quo proxeneta veluti & parario, Bono hæcenus nobis celebrato maectati sumus, Gravissimus & Gratosus Reipub. nostræ MAGISTRATUS: ex cujus inclyta coronã venerabunda suspicit Academia, Nobilissimos & Amplissimos DD. Tribunos, quorum Virtutem continuaq; in Remp. merita nulla rapiet ignota sub nube vetustas: Quiq; curarum focii estis, Scholarchas Spectatissimos, Prudentissimos Senatores. Gratulamur Inclyto Ordini Vestro, Successionem in eorum vestigia Heroum, qui vel primo, vel inter prima, Civitatis liberæ exemplo, excelsã mente, faustissimo pietatis auspicio, in patriæ totius aliorumque salutem, erigendæ Academiae consilium inierunt, & destitutam ancipiti rerum statu magnanimè

nimè restituerunt. Gratulamur Virtutem propriam,  
 quâ de Majorum pietate nihil remittentes, quod ere-  
 xerunt illi, & Vos in hanc usq; lucem inter plurimas  
 maximasq; seculi istius difficultates, benignè fovistis,  
 occasione non unâ egregiè locupletastis, & sumptus  
 in literarum doctores munificè suggestistis: Marii il-  
 lius, Romanorum turbonis, detestati improbitatem,  
 qui metuens, ne doctorum salariis publicum exhau-  
 rireretur ararium, *litteras sibi non placere*, voce bovinâ  
 muginabatur. Gratulamur Vobis, quæ ex Academiæ,  
 Typographiæ & Virorum celebriorū famâ Urbi ve-  
 stræ accrevit, famâ & illam ubique diffudit, Gloriam.  
 Quòd si enim, illustri Thuani judicio, ad Gloriosissi-  
 mum Galliarum Regem FRANCISCUM I. *ex unius*  
*Roberti Stephani industriâ majus, quàm ex tot præclarè bello*  
*& pace gestis, decus, & nunquam interitura gloria redun-*  
*davit*; quanto major Reipublicæ vestræ non ex Fro-  
 benii tantùm, qui Stephano & Aldo ab ipso Thuano  
 meruit accenseri, aliorumque industriâ; sed tot cele-  
 briû Doctorum, qui suas hîc opes vel congeserunt vel  
 explicuerunt, virtute, doctrinâ, meritis, gloria surgit?  
 Gratulamur Academiæ vestræ fœcunditatem, ex quâ,  
 velut alveari quodam, tota eruditorum examina in  
 varias Orbis partes provolarunt: hi literis & doctri-  
 nâ melle onusti; illi gradibus aucti: hi Rerump. te-  
 nentes gubernacula; illi populum ex ambone docen-  
 tes: hi juventutis operantes profectui; illi oppressis,  
 ægrotis, aliis, commodantes. Glorientur alii de Ur-  
 bium suarum pomœriis longè lateq; productis, extru-  
 ctis palatiis, congestis opibus, opimis spoliis & exuviis  
 hosti detractis: quin & pyramidibus & mausolæis,

quorum tamen superbi vertices ad humiles tandem deducuntur arenas, alii triumpharint: Hoc, quod Academiae instituto vobis erexitis,

— *monumentum, est aere perennius,*

*Regaliq; situ pyramidum altius:*

*Quod non imber edax, non Aquilo impotens*

*Possit diruere, aut innumerabilis*

*Annorum series, & fuga temporum.*

Quae alia Rempublicam vestram commendant decora, Imperium servire nescium, Religionis, pietatis, pacis, fortitudinis, justitiae, moderationis encomia; cum reliqua Helvetiorum Civitate communia habetis, finium insuper latitudine à quibusdam longè superamini: Hanc verò, quam praedicamus, gloriã, vobis propriã, soli triumphatis. Hanc Vobis felicitatem, PROCERES AMPLISSIMI, toto pectore Vobis devota gratulatur Academia, gratulatur, quae velut in seminario heic plantatur, rigatur Ecclesia: gratulantur boni omnes: omnia illa loca, quae huc, tanquam ad bonarum artium & virtutum mercatum, alumnos suos misere haecenus, ex animo gratulantur. Nos verò, Academiae vestrae Professores, gratias insuper pro Beneficiis vestris, benevolentiae ac munificentiae liberalibus testimoniis, maximas agimus & habemus, & si opis foret nostrae, dignas persolveremus: sed nec sublimitas vestra patitur remunerandi vicem; nec fortunae nostrae suggerunt restituendi facultatem. Quod possumus, debendi reos, nostro & posterorum, si qui futuri sunt, nomine, nos ultrò profitemur, qui aere & librâ vestri futuri, quamdiu animâ spirabimus

mus nostrâ , vestræ Bonitati & Gratiæ integrâ fide,  
 constanti obsequio, precum ardore, officii curâ re-  
 spondere annitemur. Ut verò, **A M P L I S S I M I**  
**P R O C E R E S**, Academiam vestram, quam nascentem  
 excepistis , binis jam seculis gravem , proporrò fo-  
 vere, curare, ornare dignemini , pleni pietatis ve-  
 stræ fiduciâ prolixè non oramus. **H E N R I C U S V I I I.**  
 Rex Anglorum , quùm aliquando se doctiorem co-  
 ram Regni Proceribus optaret, *non hoc, inquit illi,*  
*nos à te, sed ut eruditos amplectaris & foveas, expetimus.*  
 Hoc idem nos à Vobis, **A M P L I S S I M I V I R I**,  
 non tam expetimus , quàm impetraturos , diuturnâ  
 docti experienciâ, tranquillè confidimus. Addet ve-  
 ster in literas & literatos amor docentibus animum,  
 discantibus calcar, utrisque pro incolumitate Vestrâ  
 & Reipublicæ salute, calidarum precum thura ac-  
 cendat pientissima. Precabuntur virentem fene-  
 stram, successus consiliorum prosperos, subditos ob-  
 temperantes, regimen pacatum, ab omni latere tu-  
 tum, omni modo felix : vitam civium opibus fir-  
 mam, copiis locupletem, gloriâ amplam, virtute ho-  
 nestam, pietate inprimis insignem, religione sanctam  
 beatamque.

Tu denique, **A C A D E M I A**, alma Mater, in id  
 curas deinceps tuas omnes intende, ut Seculo, lite-  
 ris & virtuti tam amico, virtutem secteris, literarum  
 dote indies augeas, vero virtutis ac sapientiæ cal-  
 le pedem promoveas in gloriæ & felicitatis solidæ  
 Templum. Accingitor fortitudine Seculo novo, &  
 armator contra vitia seculi. Hic tibi Rhodus, hic

faltus. Sic dignam te præstabis Optimi Magistratûs gratiâ. Sic te Deus dexterâ suâ confortabit, & indulgebis benedictionem Israël. Sic *te semper bona pax amabit, & te semper amantibus cedent omnia rectè.* Sic BASILEAM tuam, non à Rege terreno, à quo libera est, denominatam, verè Regiam Urbem, Βασιλέως Magni Civitatem præstabis. Sic illa gloriabitur Tecum: sic Tu in illâ, pia, felix, inclyta, stabis, florebis, perennabis.

DIXI.





## I.

In lætitiã Secularem

*Inclutæ Academia BASILIENSIS,*

*Syncharma votivum,*

Anno ipso Seculari fufum,

ACADEMIA BASILIENSIS VIGeat!

**E**N Academiis aliis Academia præstans  
Basiliensis, eas antequam honore gravis.

Hancce quidem instituit *Pius* olim Papa *secundus*,

Indeque jam plenè secula bina stetit:

Nata Patrem at superat. Nec verò Nomine tantùm

Filia, reverà sed Pietate viget.

Ac velut ipsa diu viguit Pietate Fideque:

Sic longùm superet læta vigore suo!

JOAN. RODOLPHUS STUCKIUS,  
S. Theol. in Schola Tigurina Pro-  
fessor, & Scholarcha.

*Fato concessit meritissimus Senex, d. XXVII. Aprilis,*  
*Anni hujus LX.*



## II.

## PRÆFATIO.

**S**TUCKIADES perchare mihi, præclare laborum  
 Exuviis nostram deferis URANIEN,  
 Dum niveis labris agitas cœlestia cantus  
 Divini, moreris Cygne beate tuis.  
 Sic moreris, sed non nostri moriuntur amoris  
 Ultima, quæ cultu sunt iterata novo.  
 Optasti pergat faustis ACADEMIA votis,  
 Excutiat tristes laude monente moras.  
 Nôs tibi deferimus gemitu, trepidante fufurro  
 Extremum, fueras Gloria sacra, decus.

**P**Risca suis pateant monumentis, omnia magna  
 Sint majora, parem vix habitura fidem.  
*Præcludant nobis Anima, sub lumine suavi  
 Irradiant nostris Lumina luminibus.*  
*Marmor a se crebro jactent epigrammate, voces  
 Exhibeant lentopendula saxa situ.*  
*Gestiat illatis Sapientum cœna lucernis,  
 Atq; sibi soli cuncta imitata putet.*  
*Fundantur precibus, quæ quondam oracula fusa,  
 Detineant dubiis læta theatra jocis.*  
*Prodiga nunc redeant, nunc spirent tempora muta,  
 Nunc effœta tuos redde senectæ Viros:*  
*Nunc iterum cineri nascatur vita superbo:*  
*Nunc laurus virides induat alma notas.*  
*Dicemus facili plausu, procul illa remota  
 Non pereunt, nullo sunt peritura die.*

Illa suis veneranda, oculis illustria nostris  
 Innocui senii nobilitate vigent.  
 Dicemus facili plausu, sic floruit olim  
 ROMA, sui cultu sic celebrata fuit:  
 His eveeta fuit, tantis cumulata trophæis,  
 Ut fuerit nulli fama secunda loco.  
 Exiguus sub principis erravit, ut esset  
 Maximus humana gentis ubiq; stupor:  
 Aemula vicinis fastigia sustulit astris,  
 Qua septem scopulos inviolata tegunt.  
 Armorum legumq; parens se fudit in omnes  
 Imperio, spatius non satiata suis.  
 Dicamus, dicemus & hoc, Spectata Vetustas  
 Elogiis crescit fulta subinde novis.  
 Nil liceat mæsto livori, quæq; serenis  
 Auspiciis placeant, nec placuisse nocet.  
 Addimus his meritis laudem, præsentia laudem  
 Quò capiant, capiant fata futura suam.  
 Aethereis inscripta diu sint nomina fastis,  
 Nec velut extincto signa calore cadant;  
 Solatur tamen & propius solamina promit,  
 Incitat, exempli mobilitate fovet.  
 Hac habeant excelsa sibi persuasa nepotes,  
 Sublimes teneant, quos petiere, gradus.  
 Subdiderint veteres animorum viribus ignem,  
 Quo splendet mundo præbita flamma suo.  
 Imminet his humeris etiam sua gloria, quæq;  
 Fortiter expediant, posteritatis erunt:  
 Hanc genuit partim, partim est genitura venustas  
 Illa Patrum, soboli grata futura suæ.

Nos sileamus, habent simulata silentia vocem  
 Dulcius ex alio defluit ore favor.  
 Nos sileamus, erit succrescens posthuma fama;  
 Incumbet nostro sola relicta rogo.  
 Flectamus vultum, somno natitantia membra  
 Languescant, fiant omnia, ut ante, nihil.  
 Post longas hyemes aestas fragrabit amomo,  
 Illa suas violas & thyma cana feret.  
 Abstersa tandem furva caligine iustus  
 Nos quæret missos in pia Templâ dolor.  
 Nunc quoque nec promissa fides se liberat, annis  
 Ducentis unus mensis honore vacat.  
 Non ego deducam, quas intemerata iuventus,  
 Quasque Professorum sparserit ordo faces.  
 Gaudia fulgebant, vestigia densa premebant,  
 In medio Virtus enituitque toro.  
 Bella fuere quidem communia, sed tamen unus  
 Victor erat, reliqui præmia nulla velint.  
 Victor erat noster GERNLERUS, vultibus instans  
 Magnificis, motu clarior ingenuo.  
 GERNLERUS Lux vera Dei, Lux pura piorum,  
 GERNLERUS cordis Lux geminata mei:  
 Noster amor, sub amore decus, fons ille perennis  
 Verbi, fons verbo candidiore sacer:  
 GERNLERUS, quem non rapuit properata cupido,  
 Non spes illicito sollicitata metu;  
 Sed blanda unanimi circumdata pectore cura,  
 Quæ jubet atque rogat, quæ rogat atque jubet,  
 Quæis pedibus, quibus & numeris melioribus aucta  
 Secula bina, quibus tertium, ut illa, fluat;

*Ignaris recitaret opus, brevior referret*

*Sub calamo nostræ, quæ sit imago Scholæ:*

*Qui sint authores, quo sint progressa vigore*

*Nostra Lycaea, quibus continuata viris.*

**GERNLERUS** Latia munitus robore lingue

*Ac variâ rerum sub gravitate potens,*

**DIVITIAS BASILEA** tuas, **ACADEMICA POMPA,**

*Junctim divitias explicuitq; tuas.*

*Effodit veteres, tot patria funera, sedes,*

*Amphitheatrali reddidit illa choro.*

*Ostendit terræ sic mortua membra quietem*

*Quærere & occulto posse latere sinu;*

*Ast animas ullo non condit posse sepulcro,*

*Non illis finem finibus esse suum.*

*Findunt hæc humana, polo surgentia jactant*

*Munera & æterno proximiora Deo.*

*Miscuit indigenis peregrinos, civica jura*

*Hos aliena diu præposuisse suis.*

*Præposuere suis, gremiis abiere paternis,*

*Quò fierent Patria prima corona nova.*

**TESTES LUINGERI,** quibus omnia plena reudent,

*Et vix alterius sanguine major erit.*

*Scimus te dignam, scimus BUXTORFIA proles,*

*Scimus non totam, tota patere nequis.*

*Quem non biga rapit nullo delebilis ævo,*

*Quam BAUHINE facis, quamq; STUPANE facis.*

**BRANDMÜLLERORUM** non dememinisse meorum,

*Quâ sedeo quartus, portio parva jubet:*

*Helvetico sensu spirarunt, sponte professi*

*Aedibus angustiis Suevica origo sumus.*

Delibasse mihi satis est, se civis adumbret  
 Sole suo, ingenitas Pieridesq; canat.  
 Forsitan obstarent encomia nostra colori,  
 Quo tingi vellent ille vel ille suo.  
 Si sunt depositum Cœli, custodia sancta  
 Non audet fidei credere tanta mee.  
 Si distenta suis Themideus pulpita adorant,  
 Carminibus fierent inferiora meis.  
 Si medicos tentant ausus & structa labore  
 Artificum morbis vincla iterata parant :  
 Siq; per implicitos volvatur saepe meatus  
 Incertum certâ sub ratione caput ;  
 Ex animo Medicis cupio, non corpore quero,  
 Nolo mihi faciles, nec volo difficiles.  
 Conseruet se vita suâ virtute, calorem  
 Nutriat & rerum radia nulla trahat.  
 Letus ARISTOTELES mihi falsa subinde ministrat,  
 E quorum laqueis fraus superata micat.  
 Cum sapiente breves lites sunt iurgia grata,  
 Quæ cohibet metâ simpliciore modus.  
 Tandem sub teneris elegis aliena recedunt  
 Limina, ut à Patria mollia iussa petam.  
 Extinctum est desiderium, dubiusq; fatiscit  
 Error in externis velle habitare locis.  
 Non spero fumos, Ithacæ speravit Ulysses ;  
 Sed famam in fama Patria spero tua.  
 Tu BASILEA tuis, Tu RES ACADEMICA rebus  
 Officiosa jube, cuncta jubere potes.

IACOBUS BRANDMÜLLERUS,  
 Inst. Juris Basileæ Professor.

Triumphus

## III.

*Triumphus Academicus*ACADEMIÆ BASILIENSIS,  
celebratus*Anno Foundationis Ducentesimo.*

**L** Audibus extollat festivos Græcia ludos,  
 Prædicet invictos Itala terra viros.  
 Ostendet varios bellatrix Roma triumphos,  
 Pyramidum cæli sidera tangat opus.  
 Laudet magnificum Cariæ Regina Sepulchrum,  
 Miretur muros urbs Babylona suos.  
 Rauraciæ potiùs nobis laudantur Athenæ,  
 Quarum constanti laus pede fulta manet.  
 Hæc laus digna cedro præclarè insculpta virenti  
 Te Basilea manet: docta palæstra Scholæ.  
 Hæc tua jam viguit Binis Academia Seclis,  
 Sic vigeat cunctos floreat opto dies.  
 Hic Clarii cœtus, Dryadum chorus atq; Sophorum  
 Prò quot præclaros progenuère viros!  
 Discitur hîc Pietas, Sapiencia: Jura coluntur,  
 Discitur hîc Græci vox genuina soni.  
 Discitur hîc Verum, Virtus, morumq; venustas,  
 Et quicquid pulchri Cyclicus ordo tenet  
 Hic sunt qui tradant sanctorum oracula vatum,  
 Puraque quos CHRISTI verba docere juvat.  
 Et quamvis terras liquisse Astræa feratur,  
 Mœstaq; supremas hinc remeasse domos;  
 Illa tamen Mystas hic omni tempore liquit,  
 Qui Legum nodos arte secare queant.

Sunt qui Pergamidis sectantur dogma Galeni,  
 Instruit & cunctos, arte, Sophia, fide.  
 Hic ortus varios rimamur & omnia rerum,  
 Quam varias subeant mixta Elementa vices.  
 Quærimus omniparæ quid gignant viscera terræ,  
 Discimus immensas cur pluat Æther aquas.  
 Scandimus in cœlum, quid rauca tonitrua causet  
 Quærimus, & gelidæ quæ sit origo nivis.  
 Quid multis? nihil est, nil continet Æther & Orbis,  
 Quæ non sint nostris omnia nota Scholis.  
 Lætitiis unquam si tellus Rauraca mentem  
 Fovisti, in lætum gaudia funde sinum.  
 Fronte exporrectâ magno da Jubila plausu,  
 Signaque Lætitiæ fer Basilea tuæ.  
 Crevit Amor Studii, rediit sua Gloria Musis,  
 Nec pia Castalidum dona sepulta jacent.  
 Terrificus Martis, qui cunctas hæctenus artes  
 Ensis & flammis expulit orbe, furor,  
 Hac licet invitus tranquillâ sede quietem  
 Artibus, & tutum cesit in urbe locum.  
 Erigat Helveticæ vultus Academia terræ,  
 Ac hilari crebrò Jubila voce sonet:  
 Jubila magna edat mentem testantia læram,  
 Castalidumque melos succinat ipse chorus.  
 Dicite jo Pæan, festivo plaudite gestu  
 Rauracides, Clario turba sacrata choro.  
 Dicite jo Pæan, jucundis plausibus orbis  
 Perstrepat: ingeniis spesq; decusq; redit.  
 Exoptata diu faustâ nunc luce recurrit  
 Pieridum magno plena favore dies.

Quod

Quod fuit in votis, & fido pectore cuncti  
 Hactenus optarunt, cernimus esse ratum.  
 Est Deus, est coetus Musæ studiosus amœnæ,  
 Est locus, est Studiis turba dicata bonis.  
 Servat adusque Dei Doctores Gratia claros,  
 Artis fautores servat adusq; pios.  
 Erige mentem ergo mœstam Basilea, triumphos  
 Ede, nec in tristes ora resolve sonos.  
 Pax vireat semper pacatâ in sede Minervæ:  
 Munera Pacis opes crescere pace solent.  
 Pax recreat Musas, pax est gratissima rerum,  
 Hac semel ereptâ Musa valere nequit.  
 Hoc precor ut faustis semper Fortuna quadrigis  
 Affluat, & nunquam noxia fata ferat.  
 Omnia tam placido faveant tibi sidera vultu,  
 Ut quæcunq; placent ad tua vota fluant.

CARMEN RETICULATUM.

**P**allas, Honos, Studium: Doctos, Præcordia, Mentem:  
 Alma, Decens, Solidum: Commendat, Concitat, Aptat.  
 Vivit, Adest, Floret: Tot, Posteritas, Basilea:  
 Pallas, Honos, Studium: Donis, Applaudet, Triumphat.  
 Excolit, Auget, Amant: Dulcis, Celeberrima, Clari:  
 Jus, Doctos, Artes: Basilea, Academia, Mystra.  
 Frendeat, Invideat, Ringat: Nos, Maxima, Nostri:  
 Momus, Roma, Satan: Conservat, Gratia, CHRISTI.  
 Dent, Latâ, Tremuli: Plaudant, Laudetur, Ubiq;  
 Jubila, Mente, Senes: Juvenes, Basilea, Locorum,  
 Alma, Decens, Solidum: Crescat, Duretq;, Triumphet:  
 Pallas, Honos, Studium: Pietate, Decore, Coronis.

*CARMEN METATHETICUM  
de voce ACADEMIA.*

in quinquaginta voces resolutâ.

**F**Loreat & vivat multis ACADEMIA Seclis,  
 Hæc maneat Studiis semper AMICA piis.  
 Ut scandit celeri montes vaga DAMA volatu  
 Sic tua Fama poli semper AD astra meet.  
 Nobilis ut calido liquefcit CADMIA furno,  
 Sic pia corda tui mollia reddat amor.  
 Ut superat caules cunctos dulcedine CIMA,  
 Sic superet cunctas Rauraca Musa Scholas.  
 Laudaris Græcis ob delta CADME repertum,  
 Invenit totos nostra Minerva libros.  
 DIC AJACE magis miles tua bellica facta,  
 Immanis totus sanguine Turca MADE.  
 Prædicet antiquos excellens MEDIA Reges,  
 Pugnaces celebret DACIA sæva viros.  
 Subjice cuncta tuis ô CAJE DICAq; triumphis,  
 MAJAque Mercurium præfer & JA tuum.  
 Cardiacæ MACI præponat Flora JACEAM  
 IDA tuam Venerem, quam Paris ambit, AMA,  
 Ast MEA præcellit studiorum DIA palæstra  
 Rauraciæ melius Palladis arma placent.  
 Ingenii dotes quas nobis perdidit ADAM,  
 Has reparat largâ nostra Thalia manu,  
 E' medio tollas, Mavors CI fraudibus, urbes,  
 Protegit hæc doctos perfidiâque caret.  
 Otia tollantur, discedat ACEDIA campo,  
 Exulet Oëbalii Bacchica turba CADL.

Hos


Hos Basilea fovet quibus est solertia cordi,  
 Qui frugi M E D I C A vivere lege volunt.  
 Vulgus iniqua sequens semper descendit ad I M A,  
 Et fragiles totâ mente requirit opes,  
 Vanas divitias proles studiosa Minervæ  
 Non curat, cùm sint parvula M I C A micans.  
 Arrige nunc longas aures M I fordide M I D A,  
 Et pete Mygdonii fulva talenta soli.  
 Quisquis amas doctas Sapientum volvere chartas,  
 Atria Musarum Rauraca promptus A D I.  
 Nullâ clade potest nobis Sapientia D E M I,  
 Ast magno studio semper oportet E M I.  
 Aufert D E M A C I sua Phœbus tradit E M A C T  
 Munera doctrinæ quam Scholâ nostra docet.  
 Adveni A M I C E, meis monitis adverte paternis,  
 M E celeri sequere ad docta Lycea pede.  
 Gentiles patrios olim coluere Penates,  
 Hæc E A quam colimus nostra Sophia D E A est.  
 Non CADE mente ACIE AC instructa fortiter insta,  
 Otia nec cupias desidiosâ sequi.  
 Ingens est studiis laus, sunt sua præmia doctis,  
 A laribus Clariis nullus inanis abit.  
 Hæc cecini, tenui carmen modulatus avenâ,  
 Nunc satis est lusum; nunc lyra lassâ J A C E,  
 D A Deus ut justas D E toto pectore grates  
 Solvamus: faciat totus & orbis I D E M.  
 E J A Deum summis A C A D E M I A laudibus effert,  
 Vivas, I, pleno flore vigeto, vale.

## ACROSTICHO-TAUTOGRAMMATON.

Aethereis	Aptans	Astris	Altissimus	Astra
Cujus	Continuo	Cælestis	Curia	Cantu
Aestuat,	Auratis	Abscedunt	Arcibus	Arma
Distribuit	Doctis	Duplex	Diadema	Decorum,
Eulogiam	Extremis	Eos	Explanat	Erembis,
Maxima	Magnificant	Multorum	Munera	Matris.
Iubila	Iucundis	Iuvenes	Intendite	Iambis,
Aonia	Aethereis	Acclament	Artibus	Artes,
Barbara	Bella beent	Bardos,	Basilea	Benigna
Artes	Aeternis	Annis	Attollat ad	Astra.
Surgite,	Signati	Secli	Solenne	Secundi
Instat,	Iucundos	Iuvenes	Intendite	Iambos.
Laudetis	Lepidi	Longè	Laudabile	Lumen,
Intimus	Incenso	Iurassus	Iubilet	Ignè,
Entheus	Exultetq̄	Eleleus,	Exultet	Eous,
Narcisso	Nitida	Nardum	Nectantq̄	Napæa,
Surgat	Sedulitas	Studii	Solertia	Secli
Ignavos	Iugulent	Luxtim	Infortunia	Iusta,
Sideribus	Semper	Succrescāt	Secla	Secundis.

VOTUM

VOTUM CHRONOLOGICUM.



CHRONOSTICHON.

NasCItVr AMbrosII Læto hIC sCoLa patrIa soLe,  
 AMbrosII Cantat IVbILa grata Die.

An. intro-  
 duct. uni-  
 vers.  
 An. Jubil.

*applauderat*

M. HENRICUS KISSELBACHIUS,  
 in Acad. Basil. Physices Prof. ord.

K

IV.  
ÆR A D I O N Y S I A N A

לפרט קטון

DC LX.

Per Gematriam Kabbalisticam  
in se continet

ACADEMIAM BASILIENSEM.

ישנה	3 2 7
בער	2 8 2
באזילא	5 1
	6 60.

א ב ל ו י ו ב ל  
JUBILA & NUBILA.

סוף יש *a* לנוי יומי אבליא  
מת *b* ריש סדרא: מה הוא נבליא  
מה *c* לכסי יומי יובליא  
חזו תחיה עיר באזיליא

Solidissimus, Rector Magnificus, Tigurinus, obiit, 27. April.  
Anno 1660. c. Basiliensibus.

*a* Tigurinis.  
*b* Celeberr. D.  
Joh. Rodolphus  
Stuckius Theo-  
logia Professor

P. Johannes Müllerus, Ecclesiæ

Tigurinæ Minister, & Histo-  
riæ Ecclesiasticæ Professor.

O. D. E.

V.

## O D E.

**N**unc jubilandum, nunc prece publicâ  
 Pulsandus æther, nunc fidibus novis  
 Et Jesseo sacrandâ plestro  
 Ista dies: Schola Rauracorum,  
 Quâ prima versans ordia pectore,  
 Festiva binâ jam vice seculi  
 Celebrat emensi: renifu  
 Quolibet innocuo, superstes.  
 Sic est, potenti Numinis unice  
 Debentur isthæc otia gratiæ:  
 Hâc perpetim nos posterosque  
 Dote Jehova sinas fruisi.  
 Infesta Athenis fac procul exulet  
 Bellona, & ævi barbaries rudis,  
 Tetramque defensare si quis  
 Barbariem paret advocatus.  
 Vivant Senatus lumina Raurici,  
 Queis Musa cordi, queis decus artium  
 Curæ est bonarum, cum scholisque  
 Reddere seque celebriores,  
 Nempe eruditos qui fovet & colit  
 Haud frustra fovit, quos mage prædicent  
 Gratiæ Camœnæ, quàm Camœnas  
 Qui magis ante alios amarint?  
 Qui rectionem magnificam scholæ  
 Nunc administras, unus ut omnium  
 Plene satisfecisse nolis  
 Nomine reque feraris ipsa,  
 Gernlere vivas, vivite queis datum  
 Amplo docendi munere fungier,  
 Discantium grex vivat & spem  
 Exsaturet studiis citatam.

Prodire fas sit jugiter inclyto  
 Ex hoc Lycæo, quos avidissimâ  
     Cætus loquentes sacra mente  
     Audiant, obsequiumque doctâ;  
 Qui veritatis tramite pervio  
 Stare atque trito, nec nova & avia  
     Tentare ( quod plenum pericli )  
     Judicio didicere sano.  
 Prodire fas sit, qui Themidis sciant  
 Jura atque leges: quos apud, ostiis  
     Extorri ubivis Æquitati  
     Hospitium pateat reclusis.  
 Prodire fas sit, qui facili manu  
 Morbi molestis arte Machaonis  
     Norint mederi, à corpore ægrum  
     Qui Properantia fata pellant.  
 Prodire fas sit, vincere qui sophos  
 Non parte in unâ, sed simul omnibus  
     In artibus scientiisque  
     Et veteres valeat novosque.  
 Te multum honoret docta Lutetia,  
 Te non PatavI, sive Bononiæ  
     Cultura Vincat, nec sororum  
     Gloria Teutoniæ Scholarum.  
 Non quâ Viadrus, queisque Danubius  
 Superbit almis, & rapidus Nicer;  
     Parenti aquarum palma nostro  
     Propria sit, maneatque Rheno.

*Ita voyet*

PETRUS WERENFELS, Eccles. Basil.  
 in summo Templo Administ.

## VI.

*Ad*

Magnificum Universitatis Rectorem  
 DN. LUCAM GERNLERUM,  
 Theologum Cl.

In iteratâ solemnî festivitate magnificè  
 differentem.

*Gloria sic Nostri nunquam moritura Lycei  
 Auspiciis rediit VIR VENERANDE Tuis.*

Magnus Alexander cum fortè stetit ad Urnam,

Quâ cinis oclusus fortis Achillis erat,  
 Felix, exclamat, Juvenis! Tua Grajus Homerus  
 Æternis cecinit fortia facta metris.

Sed mage felices Nostras reputamus ATHENAS,  
 Rauraca quas Tellus per duo secla tenet.

Harum etenim quænam fuerint Cunabula, qui que  
 Progressus celebres, Vox Tua grata dedit.

Expedit que Viros, per quos super æthera notos  
 Hactenus excellens exseruere caput.

Expedit Sacri Præconum nomina Verbi;  
 Quæque sibi legit Corda polita Themis;

Et qui lethiferos docuerunt pellere morbos;  
 Et Quos asseruit diva Sophia sibi.

*Gloria sic Nostri nunquam moritura Lycei  
 Auspiciis rediit VIR VENERANDE Tuis.*

GEORGIUS SEGERUS Thorunensis,  
 Phil. & Med.D. Hujusdemq; Facult. apud  
 Basilienses Assessor, & Reipubl. Patriæ  
 Medicus Ordinarius.

## VII.

Θ. Δ. Τ.

ἐν Φιλοσοφείῳ

ACADEMIA BASILEENSIS  
SIT VIRENS!

ἠθέλιον ἀναγράμματι

I; nisam en alis! Sic aras debet IESU!

μεθεγμνησομύβω.

**I**llustris BASILEA; tua; post secula bina,  
 Cū recitaretur nuper Origo Scholæ:  
 Actūs mente mihi spectanti, lata Thalia  
 Tale pium monitum; quod tibi reddo;  
 dedit:

I; nisam en alis, εἰς ἴσῃσιν ῥοβὸρῃ Ἰἔσῃ:

Ex quo nata prius postq̄ renata fuit.

Sic Aras uni; sic Aras debet JĒSV:

Huic ὀ in aternos stént q̄s fragrént q̄s dies!

Μετὰ παλιθγοίῃσιν ἀβλικῃσιν, ἔ

χρονολογικῃσιν,

ACADEMIA BASILEENSIS SIT VIRENS!

Ἰππικῃσιν ἔνεκα π.

GEORGIUS MÜLLERUS, Ecclesię Talvillanę  
 in V.D. Minister: Capituli ad Lacum Tig. Decanus.

VIII. Qui

## VIII.

**Q**UI soles nimium, diu, serenos ;  
 Nec sortes tetricas furentis iras,  
 Nec quas Mars ciet horridas ruinas,  
 Expertus, placidam quietus auram  
 Spiravit, potuitque tutus, ut cum  
 Alcedo Pelagi premit procellas,  
 Orbis cernere fluctuantis undas,  
 Fœlix Helvetici soli Colonus,  
 Jam doctis etiam diu Camœnis,  
 Vidit otia Numinis favore  
 Concessa in Patrii soli Lycæo,  
 Quod priscis dubias facit Pelasgis  
 Palmas, omnigenæ Eruditionis  
 Quod Fons, & celebri viget Virorum  
 Cœtu, qui variis nitent in oris  
 Fama Nominis, Eruditionis,  
 Quales pulpita docta vix tulerunt,  
 Quâ Rhenus tumido fluenta Ponto  
 Reddit, quâ Ligeris suis superbit  
 Undis, & Latîæ Lycæa Terræ ;  
 Longinquæ petit id sititor Undæ,  
 Docilis gelidâ venitque ab Arcto,  
 Atque Austro sitiens boni Juventa,  
 Et quærit meritam frequens Coronam.  
 GERNLERE Eloquii sacri stupendâ  
 Qui vi flectere Corda dura, Christo  
 Palantes animas solesque dare,  
 Doctæ flumine cum relata Lingua,  
 Clari Nobilitas, Decus, Lycæi,

Hæc

Hæc quæ fundimus usque & usque Vota :  
 Sermonis penetrent & ista tela ;  
 Ut cùm Oracula pandis alta Cœli,  
 Hoc fœlix maneat diu Lycæum,  
 Et vires capiat senectâ ab ipsa,  
 Qualis deciduus Jubar coruscum  
 Phœbus, gurgite qui recondit alto,  
 Ex ipsâ radios refert opacâ  
 Nocte, & Lumine cuncta lustrat almo ;  
 Qualis quæ senio gravata multo  
 Ales, per rutilas novum vigorem,  
 Ornatumque novum capit favillas.

T O B I A S B A U M G A R T E R U S  
 San Gallensis D.

I X.

**O** Romane tuâ noli turgescere pompâ,  
 Et quæis clausisti secula longa sacris.  
 Nil mihi vobiscum Claudii, Nero atq; Tiberi,  
 Immanes Furia sanguisonaq; tubæ.  
 Qui miseræ strages ludentes sistitis Urbi,  
 Et fœdum sabulum sanguine puniceo.  
 Rauraca nam præstant Latii spectacula ludis  
 Ut præstant Musæ Martia Diva tibi.  
 O festum faustumq; diem, quo pulpita sacra  
 Presimus & Clarios vidimus ire choros.  
 Patria quo Pallas niveo splendescere peplo  
 Visa est, Summates conciliare sibi.  
 Sidere quo primùm Helvetias migravit ad oras  
 Quæq; mora fuerint tempora longa sua.  
 Quisq; ejus celebres Mystes mactavit ad aras  
 GERNLERUS grandi dixerat eloquis.

Vidimus

Vidimus & luctas rigidas & crebra theatra,  
 Et latos campos & patulas caveas.  
 Non tamen horrebant squallenti sanguine arena  
 Ceu vitâ emturi delicias populo.  
 Innocuus congressus erat, laudabilis ardor,  
 Qualem Phœbei pectoris urna tegit.  
 Qua Musæ atq; Themis, verum justumq; triumphant,  
 Atq; trophæa tenent Religio & pietas.  
 Det Deus innumeros porro numerare per annos  
 Munera grata Dei, munera grata Deo:  
 Laurigera vireant Musæ, Parnassia sacra  
 Concelebret multum seraq; posteritas.

M. JOH: HENRICUS HOFMANNUS  
 V. D. M.

## X.

## CARMEN SECULARE

Pro

## ACADEMIAE BASILIENSIS

*Incolumitate.*

CHRISTUS electi Miserator Orbis  
 In tenebrosas jaculatus oras  
 Luminis dii radios, ubique  
 Viderat umbras.  
 Viderat noctem, triduana qualis  
 Numinis jussu per agros Canopi  
 Sparsa, famoso Pharias notavit  
 Anthrace terras.  
 Gentium quondam tenebris sepulta,  
 Cœlitus misso BASILEA Verbo,  
 Protinus fulsit pietatis igne,  
 Sideris instar.

L

Ast in errorum revoluta callem  
 Montis impulsu citò Vaticani,  
 Pristinam sensit recidiva nubes,  
 Damnaque Lucis.

Hinc vacillantes titubare gressus  
 Luminis ductum fatui securæ,  
 Cuncta Tarpejo dominante fastu  
 Retrò referri.

Inter has ævi levioris umbras,  
 Rauricos multùm miseratus agros,  
 Dixit, in primum redeat vigorem  
 Purior ignis.

Noctis istius procul hinc faceffant  
 Spectra, Summani Soboles Quirini;  
 Phosphorus gratas properè reducet  
 Lucis habenas.

Et diem reddet mage luculentum,  
 Quàm sit Auroræ nitor ingruentis,  
 Cùm per umbrosos rediviva montes  
 Lumina vulgat.

Artium primò decus excitetur,  
 Et per ignotos vaga turba flexus,  
 Eruditorum sciat in theatro  
 Figere gressus.

Mox ut Eoæ facis infecutor  
 Pleniùs fulget radiosus Æthon,  
 Clara sic EVANGELII lucerna  
 Corda peruret.

DIXIT, & fecit; monuitque pectus  
 SYLVII, quamvis mala cogitantis,  
 Et secururæ Deus ipse fecit  
 Omnia Luci.

SYLVIVS vastæ dominator Aulæ,  
 Jura quæ Mundo sine jure dicit,

Nominis

Nominis Famâ Pius has in oras  
 Lumina flexit.  
 Fertiles campos, Genium Virorum  
 Conspicans, agri fruticantis Uber,  
 Aërem purum tenui sub æthrâ,  
 Et bona quævis  
 Mente perpendens, fore iudicavit  
 Prorsus intonso loca digna Phœbo,  
 Digna paxillos ubi Pallas, & ten-  
 toria fingat.  
 Ergo confestim statuât Novena,  
 Dixit, hîc sedem Jove nata proles,  
 Raurici posthac vireat bivertex  
 Gloria Pindi.  
 Cuncta cesserunt, prece flagitante  
 Supplici Numen Procerum coronâ,  
 Hucque proclivis sacra turba statim  
 Transtulit ædes.  
 Hoc statu rerum Themis irreprensâ  
 Jura vexato tribuit clienti;  
 Aurêâ morbos procul ire jusfit  
 Arte Machaon.  
 Rhetorum palmæ, Logicive pugni  
 Patrios inter viguere muros,  
 Floruit cœli peragrarè Sphæras  
 Doctâ Mathesis.  
 Lubricos Virtus animosa mores  
 Suasit ad castum Mediocre flecti;  
 Sicque per cunctos SOPHIÆ recessus  
 Reddita lux est;  
 Cujus accensum jubar ad remotos  
 More fulgètri penetravit Indos,  
 Jamque in Eoo procul orbe fulsit  
 Auspice Famâ.  
 Sola quæ CHRISTI docet orsa, quæque

Cœlicos apta est referare fontes,  
Hactenus densas laruit per umbras:  
Norma salutis.

Vasta Naturæ patuere regna,  
Gratiæ nondum, radiis Honesti  
Urbs coruscavit, potioris usque huc:  
Nescia Phœbi.

Donec expulsis penitus tenébris  
Sacra Lux fessas recreavit oras,  
Et salutare tulit hûc favillas  
Flamma Tonantis.

Flamma, quæ purum resonare Verbum:  
Templa, tutari docuit cathédras:  
Corda quæ sancto jubet usq; & usque  
Fervere motu.

O' fave porrò licet immerenti,  
O' fave porrò Patrio Lycæo,  
Jamque transactis Deus adde seclis.  
Secula plura.

*Almæ Matri Academiæ sacrum facit:*

M. J. JAC. HOFMANN. S. M. C.

## X I.

A D

VIRUM MAGNIFICUM, VENERABILEM  
DN. LUCAM GERNLERUM, S. THEOL. D.  
CONTROV. PROFESS. ECCLES. BASIL. ANTISTITEM  
INCLYTÆ EJUSDEM ACAD.  
ANNO HOC SECULARI SECUNDO  
RECTOREM.  
O D E.

**T**UMULTUOSI marmoris incola,  
Famosa pullos cùm fovet Alcyon,  
Nidumque servans dulce quærit  
Festa puerperio levamen.

Non

Non ulla mittit tunc Pater Æolus  
 Benè obferato carcere flamina;  
     Eurusque, Caurusque, Africusque,  
     Asidua pelagi flagella,  
 Tunc in profundis rupibus abditì  
 Quærente portam murmure sæviunt.  
     At mox, ut æquum, interminante  
     Tristè suo latitant Tyranno.  
 Tunc cantat omni Triton in æquore,  
 Tunc grata lectisternia fluctuum  
     Cernens, in altâ rupe pectit  
     Cymothoë virides capillos.  
 Tantum est pusillo Numen in alite  
 Credente surdis pignora fluctibus,  
     Prolemque nondum sat volucrem  
     Æquoreo vegetante nido.  
 Quid ergò mirum, si plaga Raurica  
 Fremente circum turbine Martio,  
     Malisque cunctis, tot per annos  
     Pacifero fuit usa sudò?  
 Nidus Columbæ est; qualis ab æthere  
 Demissa Jesu in vertice constitit,  
     Ad sacra Jordanis fluenta  
     Cum Februo laveretur amne,  
 Paterque cœlo auditus ab extimo  
 Natum probaret voce tonitruì.  
     Huic incubanti cuncta ab imo  
     Æquora detumuere fundo,  
 Queis ominoso sæpius impetu  
 In nos ruendi haud defuit ambitus,  
     Vicina cum vastaret arva  
     Damniferis Rhadamanthus undis.  
 Hoc literati Septriger Imperi,  
 Ab ore cujus tota pependerit,  
     Nuper Minervæ infusa templo  
     Urbs, Patrio populosa cive;

Deprædicabas: cùm caneres duo  
 Indulta Musis secula Rauracis  
 Favore cœli, quod benignum  
 Immeritis fuit usque nobis,  
 Favere nobis nunc magis asserit  
 GERNLERIANI gloria Nominis,  
 Quod unguinis præstantis instar  
 Halat odoriferos vapores.  
 GERNLERE sceptro hoc sæpius incluto  
 Prætexe RECTOR palmiferas manus,  
 Lubensque conversare nobis,  
 Delitium melioris ævi!  
 O' vive sacri grande decus chori,  
 Et magna nostræ portio Gloriae!  
 O' vive, perdura, perenna  
 Rauriacæ diadema terræ!

*Venerationis calore eff.*

IDEM.

XII

Carmen *ἑγκωμιστικόν*

*Universitati Basiliensi sacrum.*

**M**AGNA cano, & magnus rerum mihi nascitur ordo.  
 In laudes BASILEA Tuas diffundere conor  
 Ingenii vires: Celebris revocabo Lycei  
 Stamina prima, quibusque Viris succreverit altum  
 Ad Culmen, primâ repetens ab origine dicam.  
 TU, qui Magnificus RECTOR moderaris habenas,  
 Quique tenes urbis BASILEAE sceptra TRIBUNE,  
 Tuque Per-Illustri BARONUM stemmate nate,  
 Vosque, quibus curæ est Academia nostra, SCHOLARCHAE,  
 Vos quoque salvifici pendentes dogmata verbi,  
 Vos Themidos, Vos Iatrices, Vos Clara Minerva  
 Lumina, TUque altis studiis sacrata Corona,  
 Flos Juvenum, Patriæ Decus, & Spes certa Parentum:  
 Ore favete, precor, subscribite grandibus ausis.  
 LEX EST: instabili volvit Sors omnia lege:  
 Hac urbs ad summum tendit, ruit altera ad imum.

Sic

Sic simul ac BASILEA caput prælustre per orbem  
 Sustulit, in cineres Augusta superba refedit.  
 Nec vanum dedit augurium, fore, ut orta ruinis  
 Surgeret urbs, nulli nec Marte, nec Arte secunda.  
 Namque ubi dives opum, studiisque asperrima belli  
 Claruerat, Rhenoque, (Tago qui ditius undas,  
 Et Cydno melius volvens interluit urbem)  
 Merces in varias mundi disperferat oras,  
 Mercurioque diu fuerat, Plutoque sacrata:  
 Palladis optavit tandem quoque sacra vocari  
 Sedes: nec tantum fluxis inhiare lucellis;  
 Sed sibi, quod canerent serò venientia secla,  
 Quærere præsidium. Sic se rata stare beatam,  
 Si benè conveniant, & in una sede morentur,  
 Splendor opum, radiisque suis Doctrina refulgens:  
 Si multos aliis ad sese adducat ab oris  
 Non modò spes lucri, aut gravis ære petenda crumena;  
 Sed quoque spes animum varias coluisse per artes.  
 Hæc secum BASILEA statimque SENATUS adornat,  
 Qui mandata P̄ro tractanti sceptrâ SECUNDO  
 Exponant, veniamque petant fundare Lyceum.  
 Tum P̄ius aternum memori sub pectore volvens  
 Quæ BASILEA sibi, correpto vulnere pestis,  
 Præstiterat benefacta lubens: secumque volutans,  
 Ingenium præstans hominum, cœlique; soli que  
 Fœcundum genium, precibus non annuit agrè;  
 Sed voluit condi, decus immortalale futurum  
 Urbis, Athenæum, privilegiisque beavit  
 Omnibus, & si quos doctrina tulisset ad astra,  
 Conscribi atque novis præponi iussit Athenis,  
 Omnigenas artes quo pulpita docta sonarent.  
 Gaudebat BASILEA, suumque repente coruscâ  
 Fronte serenabat vultum, gratoque parabat  
 Acceptare sibi concessum pectore donum.  
 Interea celeri totum confecerat annum  
 Sol cursu, quartumque diem signarat Aprilis:  
 Et jam spirabat nitidissima gratia veris  
 Undique, jam volucrum resonabant omnia cantu,  
 Arboribusque redibat honos, & gramina campis.  
 Limina cum primùm Musis exstructa paterent,  
 Primaque cœpisset spes affulgere, futurum,  
 Ut sacra Musarum posthac illustrius Urbi,  
 Ut sacra Musarum posthac speciosius orbi  
 Splenderent. Sed nec cecidit spes irrita talis,  
 Crevit enim hoc nostrum per secula bina Lyceum,  
 Non secus ac veris se tempore subicit arbor:  
 Et jam præ reliquis longè lateque coruscet.

Ut stellas inter radians Diſtynna minores.  
 Sed quid Doſtorum Clariffima Nomina dicam?  
 Quis, veluti fulcris, Academia nixa tot annos,  
 Quisſque, licet cineres clauſi tellure tegantur,  
 Ingenii monumenta tamen ſuperſeſſe dederunt.  
 Non ægrè fateor, ſunt tanta Encomia, tanta  
 Laudes, ut, quamvis reſonet per pectora Phœbus  
 Centenis linguis, nequeam comprehendere verſu.  
 Suſpexit BAſILEA gravem pietate GRYNÆUM:  
 WOLLEBIUM quondam ſtupuère Theatra docentem,  
 Et BRANDMYLLERI ſonuerunt dogmata ſacra.  
 Sed dubito, quonam, BUXTORFI, carmine laudes  
 Et ZUINGERE, Tuas referam. Vos certa favoris  
 Pignora propenſi, Cœlum commiſerat orbi.  
 Succedit ſua cuique ferens Aſtræa virago,  
 Et producit AMERBACHIOS, Magnosq; ISELINOS,  
 FAESCHIADAS & BURCKARDOS, quos juris & æqui  
 Fama diu celeri vexit ſuper æthera curſu.  
 Subſequitur Medicina, ſuosque Machaonas affert:  
 ZUINGEROS, alto ferientes vertice cœlum,  
 PLATEROS, quos docta ſaris monumenta loquuntur,  
 STUPANUM, quem dixiſſes ſuperare Galenum,  
 BAUHINOS, queis non ſimiles Germania vidit,  
 BRUNNIADÈM, quem luget adhuc præmœſta Cathedra.  
 Ac tandem Sophie placidos legit ultima greſſus,  
 Oſtentans COELI, FREIGI, RYFFIque polita  
 Pectora, FIEGLINI, ZUINGERI nomina jaſtans.  
 Sed quid ego recolo, quos jam mors ceſpite texit?  
 Floret adhuc BAſILEA, Virosque alit alma Celebres.  
 Vivit GERNLERUS, vivit WETSTEINIUS, atque  
 Hebrææ linguæ lumen, BUXTORFIUS, ingens.  
 BRANDMYLLERUS adhuc ſuperæſt, & FAESCHIUS Æquus,  
 Nec non BURCKARDUS, Juris qui ſemina ſpargunt.  
 Vivit STUPANUS, vivit BAUHINUS, ô Magna  
 Lumina, per totum latè radiantia mundum!  
 BURCKARDI vivunt, & FAESCHIUS, ISELIUSque,  
 BATTJERUS, FALCISIUS, & ZUINGERUS Acutus,  
 Et KISSELBACHIUS, verè ſapientia Corda!  
 His fulcitur adhuc Academia noſtra Columnis:  
 Haſ ſalvas ſervato, Deus, Fundator & Autor  
 Omnis doſtrina: ſalvum ſervato Lyceum,  
 Nutricemque ejus BAſILEAM protege, daque  
 Ut creſcat, vigeat, valeat per plurima ſæcla!  
 Sic cecini, voto da pondus ineſſe Jehova!

M. CÆSO GRAMM, Tonningeniſis.

F I N I S.



Poëma sequens, quia tardiùs nobis acceptum fuit, loco suo  
interferi non potuit. Vel fini tamen annectendum censui-  
mus potiùs, quàm Lectori subducendum: id quod  
æqui bonique Clarissimus Author  
consulet.

*Ad Plurimum-Reverendum, Celeber-  
rimum & Excellentissimum  
Virum,*

DN. LUCAM GERNLERUM  
S. Theol. D. ac Professore, Basiliensis Eccle-  
siæ Antistitem Vigilantissimum, & p. t. Ma-  
gnificum Academiae Rectorem, cùm Pane-  
gyricâ Suadâ seculum Universitatis  
secundum celebraret.

**V**nde novo BASILEA sonat letissima cantu?  
Quod, Rheno plaudente, melos? qua jubila  
Nympha  
Ingeminant? (audire etenim exultantia longè  
Agmina, & harmonicas videor cognoscere voces!)  
An cælum hoc, & purpurei nitidissima veris  
Tempestas, ridensq; hæc gaudia suadet Aprilis,  
Delicias dum Flora suas, violasq;, rosasq;  
Explicat, & tepidi spirant mer a balsama venti?

Inritant hæc cuncta quidem; sed nuncius Hermes  
 Advolat, & veras properat mihi pandere causas:  
 HÆC EST ILLA DIES, inquit, quam noster APOLLO,  
 Atq; hilari gaudent plausu celebrare Camæna.  
 Causa subest: Titan hoc QUADRAGESIMA claudit  
 LUSTRA die, orditurq; NOVI felicia SECLI  
 Tempora, Castalias ex quo gavisæ Sorores  
 Excepit BASILEA sinu, gratâq; locavit  
 Sede Deas, ut posthabitâ Permesside Lymphâ,  
 Raurasa jam Tempe, ac nostri viridaria Rheni,  
 Unanimes tot lustra colant, habitentq; volentes.

Hinc Patrii qui nunc GERMIERUS sancta Lycei  
 Sceptra tenet, sacra cui Thejologia Galero,  
 Et meritâ dudum velavit tempora lauro,  
 Festa hodie indixit. Studiose gaudia Pubi.  
 Inde sonant cantus, inde hos Urbs Rauraca plausus  
 Tollit, & excitus nova reddit júbila Rhenus.  
 Sic ait, & motis volucer Tegeaticus alis,  
 Instar avis tranat liquidas, quâ venerat, auras.  
 Ille volat; nostrum pertentant gaudia pectus.

Sed quoniam Patriæ dulces invisere terras  
 Non datur, augustæ coramq; applaudere pompæ;  
 Gratulor his absens, & paucis adstrepo metris:  
 Psallite THEOLOGICI, date júbila, plaudite palmis!  
 Exultate, sua quos sancta ASTREA Cathedra  
 Prefecit, Legumq; dedit penetrare profundum!  
 PEONIAS gaudete, Patres, qui traditis ARTES,  
 Quosq; juvant docti, Juvenes, præcepta GALENI!  
 Præterea arcanos SOPHIÆ queis cura recessus  
 Rimari, ac penitus rerum cognoscere causas,  
 Eja triumphate, & læta bona dicite verba!  
 TOTA adèò variis ACADEMIA personet Odis!

Dulci-

*Dulcisonas animate fides, animate canora  
Organa, & humanâ plectris contendite voce!*  
Provocet ille Linum, hic Dircaum Amphiona cantu!

*Latetur, geminetq; pios ECCLESIA plausus!*  
*Tranquillo Prudens arrideat ore SENATUS!*  
*PLEBS pedibus plaudat choreas! placidè annuat omnis*  
*Ordo SENUM! JUVENUM melicos chorus accinat hymnos!*  
*Et patrio tenera subsultent more PUELLÆ!*

*OMNIPOTENS Genitor, fons largitorq; bonorum,*  
*Qui validâ, quicquid tribuis, defendere dextrâ,*  
*Atq; augere potes, Patria ista perennia serva*  
*Gaudia! Sit doctæ sedes BASILEA Caterva,*  
*Inclytâq; in plures ACADEMIA floreat annos!*  
*Perstet Apostolicis, & crescat consôna scriptis*  
*Religio! perstet bona Pax: Pacisq; ministra*  
*Copia! sic nostri exacto nova gaudia Seclo*  
*Instituent, laudesq; canent Tibi, JOVA, nepotes.*

SEBASTIANI RAMSPECK Basiliensis,  
in Elestorali Heidelbergensi Academia  
Professoris Publici, officiosa manus.

F I N I S.





